ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DC LXXXIII.

GEORGICA CURIOSA

das ist/

Umbständlicher Bericht und klarer Unterricht von dem Adelichen Land- und Feld-Leben/ auff alle in Teutschland übliche Land- und Haus-Wirthschafften gerichtet etc. Wolff Helmhard Herren von Hohbergs/ Freyherrn.

seu

Georgica Curiosa, hoc est, exacta Relatio & Instructio perspicua de Vita Nobilium Suburbana, ad omnem in Germania & ruralis, & domesticæ Oeconomiæ statum accommodata &c. Wolff Helmhard Domini ab Hohberg, Liberi Baronis.

Nürnberg/ 1682. in fol.

QUandoquidem rerum omniũ ex quibus aliquid acquiritur, nihil est, dicente Cicerone, agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius, nemo dubitabit, quin de re œconomica & universa mortalium vita præclare merentur, qui ut in optimis maximisque fundis excolendis singulari studio & magna intelligentia sunt ipsi, sic & optimam administrandi illos rationem luculentis scriptis tradunt & relinquunt aliis; eoque ad bene beateq; vivendum momenti plurimum ubivis adferunt. Locum hos inter facile principem Illustrissimus Autor tenet suo merito. Enimvero quæ is e probatissimis Rei Georgicæ Scriptoribus: Græcis, Italis, Latinis, Hispanis, Afris, Belgis, Anglis, & Germanis, cum veteribus, tum

novissimis, (singulorum catalogus in præfatione legitur) præprimis ex usu rerum multiplici cum cura observaverat, in splendidum hoc volumen œconomicum pulcherrimo sane studio congessit.

In quo concinnando non parum etiam sibi serviisse testatur selecta quædam manuscripta: Ranzavium unum; partem tamen maximam res Medicas complexum: quod ipsum Danici belli tempore, anno seculi 27, e bibliotheca expugnatæ in *Holsatia* arcis Ranzaviæ Bredenberg, in manus primum Viti Kitzingii, Tribuni Cæsarei; ab hujus autem genero postmodum ad se pervenerit: Alterum suis reliquisse Philippum Jacobum a Grüntall in Krembsegg & Zeiler: Tertium, idque præcipuum, instructionem Procuratoris fuisse, seu memoriale annuum, e Celsissima domo Lichtenstein, inde jam a multis annis, per Austriam, Moraviam, Bohemiam, & Silesiam, eximiis œconomiæ bene constitutæ & administratæ laudibus florente. Honoris præterea & gratitudinis causa Excellentium Virorum nomina Illustria profitetur, qui communicatis partim scriptis, partim curiosis libris, partim etiam arcanis suis, & observationibus, liberalissime institutum promoverint. quo nomine cumprimis benevolentiam & promtum gratificandi studium Dn. Francisci Christophori Comitis Khevenhulleri, Dn. Johannis Ehrenreich Geymanni L. B., Dn. Comitis Francisci Benedicti Perchtoldi, Dn. Wilhelmi Balthasaris in Löwenfeld/ Cæsareæ Majestatis Consiliarii, & Domus Archiducalis nomine ad Comitia Ratisbonensia Legati, Dn. Georgii Ferdinandi Pernaueri L. B. a Perney, Dn. Christiani Knorrii a Rosenroth/ Consiliarii Sulzbacensis, Dn. Martini Christophori Metzgeri Medicinæ & Philosophiæ Doctoris, maximopere & in præfatione & in conclusione operis collaudat. Ne vero dulce uspiam ab utili sejunctum in hoc videretur, cujusque libri frontem epico exornavit carmine, quod rerum contentarum summam rotunde exprimit.

In duas autem partes opus universum distinguitur, quarum quælibet libros senos, opusque adeo integrum duodenos, ambitu suo complectitur: eo argumentorum ordine servato, ut in utraque parte priora sint, quæ potiora necessitate atque fructu. *Primo* itaque pro argumento est totius rei œconomicæ basis quasi, & fundamentum, ipsum puta Prædium; De cujus, ut nonnulla duntaxat rerum capita attingamus, quod & instituti ratio, & insignis rerum copia ad singula

ſingula quæque reſpicere prohibeat, acquiſitione, ſecuritate, juribus, ſitu, ſtructura, ædificiis variis, regalibus, judiciis, molis, metallifodinis, opificiis, incremento, & ſimilibus prolixius in eo diſſeritur.

Secundus in deſcribendis Domini officiis occupatur, cum erga Deum, & ſemetipſum, *tum erga* conjugem & liberos (de quorum liberali & accurata educatione monita utiliſſima hic inſeruntur) nec nô erga famulos, procuratorem, ſubditos, & vicinos obſervandis. Inde percurrens partes anni ſingulas, deſignat quid cato incumbat patrifamilias, & domi ſuæ, & in agris, & in hortis quovis peragendum menſe. Porro de juſtis ſemper exigendis rationibus, de ſua ſuorumque tuenda ſanitate, de incendiis cavendis, aliisque præcipit.

Tertius ſcite admodum, in quibus officia & labores Dominæ verſantur, quæque ſcitu neceſſaria eidem ſunt, exponit. Cujus quidem generis potiſſima ſunt: Devotum cultum, ſpreta procul & proſcripta omni ſuperſtitione, Divino præſtare Numini; benevolum obſequium, & auxilium viro: cum cura educare generoſam ſobolem: ſua ſervis ancillisque imponere penſa, & exigere: cellam penuariam (de condiendis plantarum, fruticum, & arborum fructibus, de cibariis a corruptione defendendis plurima hoc loco habes documenta) ſufficienter inſtruere: indefeſſam præcipue in re familiari claudenda & reſeranda, cuſtodienda & diſpenſanda adhibere operam. Et quoniam valetudinis curam matrifamilias quoque committendam cenſet, hoc eodem libro non ἰατρεῖον modo œconomicum, ſeu officinam Medicam domi adornare docet, pharmacisque probatiſſimis, conſervis, ſuccis, theriacis, unguentis, emplaſtris, ecligmatis, & id genus aliis probe inſtruere, ſed de affectuum etiam generibus, quæ humanum affligere corpus cum ſuis membris ac viſceribus ſolent, ordine ſic diſſerit, ut recenſeat & morbi cujusvis, peſtiferæ etiam luis, conditionem, & præſentiſſima adhibenda ſingulis remedia.

Quarti libri pars una quidem culturam vineæ, vinoque impendendam curam ponit ob oculos; & inter cætera de loco vitibus conſerendo, de corrigendis fundi vitiis, de vitium ſatu & delectu, de amputatione, religatione, & propagatione earundem; de ſarmentorum immiſſione, de agri foſſionibus & repaſtinationibus: de ſtercorandi vineam & fœcundandi modo: de Vinitoris partibus: de apparatu, vindemia imminente: de variis ex muſto coquendis & præparandis,

 de vir-

de virtute vini dignoscenda, de ratione vina conservandi, eorumque defectus emendandi, &c. agit uberius. Parte autem reliqua Hortorum, Pomariorum maxime, & arborum cultura exponitur. *Quintus* porro de Horto Olitorio initio agit, variasque divisiones & species olerum considerat: tum de Medico; ubi herbarum signaturæ, & plagæ cœli, quibus potissimum quæque gaudeant, explicantur, curiosa etiam de Melonum cultura inseruntur fol. 503 ex Societ. Reg. Anglic. Actis Philosophicis. *Sextus* culturam ostendit adhibendam floribus, & num perfecto libro consignari possint omnes disquirit, variis hujus argumenti scriptis in medium allatis. Accedunt & varii generis diagrammata, pro hortorum areis artificiose dividendis. Quo absoluto, partem operis primam finiunt indices: unus arborum, plantarum, florum, fructuum &c., alius præcipuarum rerum in eadem occurrentium.

Liber *Septimus*, cum quo Autor secundam operis partem inchoat, œconomiæ Studiosum de Agricultura instruit: quo relata simul fuere, quæ ad braxandi, molendi, pinsendique negotia spectant. Documentum etiam de succo præstantissimo ex polenta cujusvis generis frumenti extrahendo, extractoque in mellis spissitudinem coquendo, ex Glaubero adfertur, pro cerevisiæ & panis in navibus munitisque castris felicius retinenda copia. *Octavus* Equile inscribitur, & potissimum de equorum agit varietate, & præstantia pro regionum, & colorum numero: de bonis & pravis eorundem signis; de equorum oculis, toris, cruribus, & ungulis; de generosorum propagatione, equitandi ratione, nec non de curandis variis, queis obnoxium id esse genus solet, vitiis. Hujus prodromo annectitur carmen similis argumenti, ab Autore olim in Baronis Stubenbergii Hippologiam elaboratum. *Nonus* contemplatur villam & rem pecuariam cujusvis generis reliquam: Villicum & villicam, eorum famulitium, & officii partes. *Decimi* pars prior de Apum examinibus tractat, & de mellificio: posterior de bombycibus in Europæis regionibus alendis. *Undecimus* de fontibus & aquarum deliciis, de piscinis, pisciumve generibus & alimentis, de amphibiis, & horum omnium captura. *Duodecimus* idemque ultimus perlustrat nemora, & venandi studium cum feras, tum volatilia persequitur. Post discursum denique de avium nidis, qui apud Chinenses de esculentorum sunt numero,

& a

& a nostris etiam haberi in deliciis cœperunt, sequitur totius operis conclusio, quam excipiunt indices: prior rursus arborum, plantarum, fructuum: posterior potiorum in hac secunda expressarum rerum.

SADUCISMUS TRIUMPHATUS, Or ful and plain evidence concerning VVitches and Apparitions: By Joseph Glanvil late Chaplain in ordinary to his Majesty, and FelloVV of the Royal Society.

i. e.

Evidens ac plana assertio Sagarum & Spectrorum: auctore Josepho Glanvilio, Regis nuper Capellano ordinario, & Regiæ Societatis Socio.

Londini, 1681. in 8.

Ansam libro huic spectrum quoddam dedit, quod a medio Aprilis anni 1661 Tedworthi in Anglia ædes Mompessonianas importuna tympanorum invisibilium pulsatione, variisque ludibriis aliis infestas longo tempore habuit. Cum enim post alios fide dignos viros, per quos fama de spectro illo late percrebuerat, Glanvilius quoque vir Theologus tumultuans illud coram audivisset, omnibusque circumstantiis probe exploratis fraudem illi rei nullam subesse comperisset; telum sibi oblatum existimavit, quo Saducismum configeret, & Dæmones, Spectra, ac sagas omnino dari, quod secta illa negat, demonstraret. Nam cum Saducismus multorum in Anglia animos occupasset, viamque pandere ad Atheismum videretur, ad dubitandum de Spiritus infiniti existentia inducendis facile, qui finitos spiritus a corpore separatos existere negant: suarum esse partium Glanvilius existimavit, hac ipsa occasione pestilentissimam illam Saducæorum doctrinam male curiosorum ingeniis resuscitatam pro virili refellere. Itaque jam anno 1668 Historiam spectri illius Tedworthiensis, sub titulo *The Dæmon of Tedworth*, junctis de magia meditationibus (*considerations about Witchcraft*) edidit. Quod scriptum cum semel iterumque prelo subjectum fuisset, oppugnandum

postea sibi sumpsit quidam Saducismum professus, J. Websterus, edita magiæ explicatione *(Display of Witchcraft)* qua & Dæmonem Tedworthiensem Mompessonii & Glanvilii fraudibus confictum fuisse, & Dæmonum sagarumque commercia mutua falso jactari, nec nisi in melancholicorum aut impostorum cerebris nata, conatus est evincere. Quæ hominis audacia Glanvilio non minus, ac Mompessonio unam alteramve extorsit Epistolam, qua sibi suæque narrationi veritatis intemeratæ honorem assertum ivere: tandemque Glanvilius, ab Henrico Moro imprimis per epistolam stimulatus, justo Opere Websterum refutare aggressus est; quod, postquam Auctor ipse immortuus illi esset, amicus quidam ejus revidit, ac sub titulo Saducismi triumphati anno 1681 publici juris fecit.

Præmittitur vero Operi huic Henrici Mori, Theologicis æque ac Philosophicis scriptis, quæ edidit, aliis minime incelebris, illa ipsa, cujus jamjam meminimus, Epistola, qua dum Glanvilio calcar ad Websterum refellendum addit, suam de hoc argumento sententiam uberius explicat, ac demonstrare nititur, magorum Ægyptiorum & Sagæ Endoreæ effectus non præstigias, sed idipsum quod visi sunt, fuisse, animamque Samuelis revera Sauli apparuisse. Ubi dum apparitionem animarum post mortem exemplis probare contendit, Raphaelem Tobiæ comitem statuit animam fuisse Asariæ Anania magno nati, in Raphaelium ordinem post mortem cooptatam, idque ex eo putat patere, quia asserendum alias foret, Angelum mendacio alienum sibi nomen tribuisse; Saulem vero a Webstero *miseri reprobi* nomine male traduci putat, cui potius benevolam cum filiis in alterum mundum receptionem 1 Sam. XXVIII, v. 19, verbis hisce, *cras eritis mecum*, Samuel promiserit, quique in typo tantum, ut Ismael & Esavus, fuerit reprobatus, &c.

Opus ipsum duabus partibus absolvitur, quarum prima spectrorum ac sagarum possibilitatem, altera existentiam Glanvilius demonstrat. Et in priori quidem ita se gerit, ut comprobata sententia sua, non Websteri tantum, sed Reginaldi etiam Scoti objectiones refellat, ac Simoni quoque Episcopio sagarum non existentiam quidem, sed cum dæmone commercia neganti respondeat. Ubi tametsi ingenium Auctor ac eruditionem passim prodit, non dissimulandum tamen, inspergi paradoxa quædam, & Platonicam potius quam Christianam

scholam

ſcholam ſapientia. Ex Platonicorum enim hypotheſi, quam Henricus Morus tam in Enchiridio Metaphyſico, cujus ultima capita de natura Spiritus primæ parti præſentis Operis Anglice appendicis in modum annexa ſunt, tum peculiari libro de anima, Operibus ejus Philoſophicis inſerto, ac ſeparatim *Roterodami* anno 1677 excuſo, interpolare aggreſſus eſt, animam humanam non omnis plane materiæ expertem eſſe, & quando a corpore ſeparata eſt, certo quodam vehiculo aerio ſeu ætherio gaudere exiſtimat. Unde ubi de ſagarum per aera ad nocturnas epulas transvectione agit, & explicare rationem nititur, qua fiat, ut vulnera ſagis, quando felis aut alius animalis formam induerunt, inflicta in earundem proprio corpore poſtea deprehendantur; ſtatuit animas quidem ſagarum tantum per aera vehi, a corpore nempe revera ad tempus ſeparatas, ſed animabus ſuum eſſe vehiculum ſeu corpuſculum aereum, in quo ope phantaſiæ figuras quas velint formare, ac vulnerari etiam poſſint; ſic ut ejusdem phantaſiæ vi vulnerum veſtigia, quando anima corpori redditur, vero etiam corpori imprimantur. Quod minime abſurdum videri putat poſſe, ſi in gravidis mirandam vim phantaſiæ in fœtum, cujus tot exempla exſtant, animo reputemus. Porro cum de lactatione Dæmonum ſeu ſpirituum familiarium agit, etſi ſubeſſe huic negotio ſacramentum aliquod Diabolicum agnoſcat, non abſurde tamen ſtatui cenſet, & Dæmonem nutrimentum quodcunque ex lacte ſagarum capere, & viciſſim ſagis virus quoddam inſtillare, phantaſiæ penitus corrumpendæ idoneum. Quid quod alibi, cum Chriſti animam Patriarchis in Veteri Teſtamento dicit apparuiſſe, dogma quoque illud de animarum præexiſtentia Orthodoxis dudum damnatum, non potuit non præſupponere.

Parte ſecunda Auctor exiſtentiam ſpectrorum, ſagarum, & Spirituum tum argumentis probat ex Scriptura S. deſumptis, tum exemplis. Argumenta deprompta ſunt 1 ab apparitione Angelorum bonorum, Geneſ. 16. 18. &c. 2 ab apparitione Spirituum malorum, Pſalm. 78. v. 49. Job. 1. v. 7. &c. 3 ab Energumenis, Matth. 10. v. 1. 8. v. 16. &c. 4 ab exemplo Magorum Ægyptiorum. 5 ab exemplo ſagæ Endoreæ. Quorum extremum dum a Webſteri exceptionibus vindicat, animamque Samuelis revera, non cum terreſtri tamen corpore, ſed ſolo æthereo vehiculo ſuo ad formam corporis expreſſo

expresso comparuisse comprobat, sagam nec opera impostoris cujusdam callide subornati, ac Samuelem mentiti, Saulem lusisse; nec ipsam ecstasin patientis speciem præ se ferendo procubuisse humi, vocemque ad sonum, quem Samueli congruum putarit, detorsisse demonstrat. Etsi fatetur, aliorum sententiam, qui Dæmonem ipsum loco Samuelis comparuisse ajunt, nec absurdam esse, nec Websteri argumentis concussam. Exempla vero, quod alterum probationis genus est, producuntur magno numero, quæ in Britannia maximam partem intra unius alteriusve annorum decadis spatium contigerunt, & fide dignorum testimoniis confirmantur; subjecta calci Operis Suecicarum quarundam sagarum Historia ex Germanico in Anglicam translata.

D. JOH. ANDREÆ KUNADI

Paralipomena ad beati sui Parentis D. Andreæ Kunadi Hypomnemata Methodo concionandi subservientia.

Dresdæ, anno 1683. in 8.

EXcidere animis nostris non potest Vir æterna memoria dignissimus, *Heinricus Hopfnerus*, Theologus quondam in hac Philurea primarius. Id enim non sinunt tum scripta ejus consummatam undique eruditionem, acre judicium, candoremque singularem spirantia, eaque edita partim, partim adhuc edenda (quæ utinam blattis eriperentur tandem & publici juris ex destinato Autoris fierent!) tum asseclæ ejus scriptis Theologicis in luce publica extantibus clarissimi, archetypum Præceptoris sui exemplar exacte repræsentantes, *Stegmanni* puta, *Hulsemanni*, *Cundisii*, *Kromayeri*, *Geieri*, *Olearii*, *Rappolti*, aliique complures; quos inter non postremo loco collocandus venit *Andreas Kunadus*, patria Dobelensis, Rector primum illustris Portæ, dein Ephorus Leisnicensis, mox Grimmensis, & tandem Theologus Wittebergensis, &, matrimonium ejus si spectes, *Johannis Hopneri*, Theologi ac Superintendentis Lipsiensis gener. Nam & hic γνησίως erat Hopfnerianus, sive in arenam descendendum esset cum adversariis, sive textus aliquis Biblicus per Logicam anatomen esset resolvendus. Documento huic rei sunt cum scripta ejus alia solide ac

cum

cum ἀκριβείᾳ elaborata, tum insignis ejus in epistolam ad Galatas Commentarius, seu *Collegium privato-publicum*, idque XV disputationibus absolutum, & Wittebergæ anno 1662 evulgatum. Doni autem analytici, quod eximium plane in illo erat, locuples testis est, vel solus ejus in Oratoriam Ecclesiasticam commentarius, seu *Hypomnemata*, ut vocat, *methodo concionandi subservientia*, in quibus Studiosos cathedræ Ecclesiasticæ se præparaturos ad brevem succinctamque dictorum Biblicorum ἐξήγησιν manuduxit. Cum enim animadvertisset Vir optimus, Studiosos plurimos in summi Theologi *Hulsemanni Oratoria Ecclesiastica*, velut profundo quodam in pelago nec progredi, nec natare posse, *Hypomnemata* illi hæc sua adjecit, methodumque adeo difficilem nonnullis visam pro ea, qua pollebat, perspicua ac methodica docendi ratione planiorem facilioremque reddidit. Præmisit enim præcepta de methodo necessaria, iisque strictim atque nervose expositis *Dispositiones* methodo suæ conformes in textus Evangeliorum & Epistolarum anniversarios subjecit, fidelemque adeo ac nunquam pœnitendum futuris Concionatoribus hodegetam se approbavit. Deerant autem huic opusculo Anno 1677 Dresdæ edito *Dispositiones in ordinarias Festorum anniversariorum Periochas*. Quas cum anxie desiderari intellexisset Filius ejus paternarum virtutum ex asse hæres, Dn. *Johannes Andreas Kunadus*, SS. Theol. D. & Superintendens hodie Ileburgensis, *Paralipomena* beatissimi parentis *Hypomnematis* jam laudatis addidit, hacque laudabili omnino opera, quicquid deesse laboribus paternis videbatur, paterno more h.e. pari facilitate supplevit. Præmisit etiam brevem quidem, sed eruditum, de methodo concionandi discursum, atque uti *Hypomnematis* antehac B. Parentis, ita suis quoque *Paralipomenis necessarios Indices* attexuit.

PARALYSIS FIDEI PAPÆÆ, JUXTA Analysin fidei Catholicæ Gregorii de Valentia, ostensa a Philippo Ludovico Hannekenio, SS. Theol. D. ejusdemque in Academia Gissensi P. P.

Gissæ, Anno 1683. in 4.

INter fulcimina Papatus nullum aliud eminit magis quam Papa ipse, quippe quod in hunc ultima fidei analysis in omnibus apud

Papistas fiat. Melius itaque de Papatu se mereri non posse, haud inepte putavit Gregorius de Valentia, Jesuita non incelebris, quam si Papam extolleret magis magisque, & ab ipso fidem Christianorum atque salutem, tanquam ab ipso fonte, derivaret. Præstare hoc conatus fuit integris octo libris, quos de Analysi fidei catholicæ inscripsit. Sed hanc Analysin degenerare in paralysin, ita ut in Ecclesia Romana haud aliter ac in homine paralytico, male se habeant & contorte cohæreant omnia, ostendit celeberrimus Hannekenius in præsenti Tractatu, in quo primum, bona fide, Assertiones & Argumenta Adversarii sui ubique proponit, deinde his declarationes, & tandem Considerationes, uti loquitur, suas aut Examen & Refutationem subjicit, ut nimirum de mente non minus quam de errore adversæ partis clare constare possit. Hæc methodus, hic scopus, hic usus Libelli doctissimi utilissimique.

VVOUNDS OF THE BRAIN, PROVED Curable. Published for the Encouragement of Young Chirurgeons, and Vindication of the Author James Yonge,

id est,

Vulnerum Cerebri Curatio asserta &c. Publicata ad excitandos Chirurgos juniores & vindicandum Autorem, Jacobum Jungium.

Londini, 1682. in 8.

OCcasio, qua obstetricante libellus hic in publicum prodiit, Medici cujusdam Durstoni crisis, de Vulnere capitis gravissimo cum substantiæ cerebri læsione & perditione, in puero quatuor annorum feliciter a Jongio sanato, extitit, qua ille, hujus operam ut deprimeret, haud adeo periculosum, multo minus cerebri, vulnus illud fuisse asseruerat, ideo quod hujus membri plagæ semper & absolute lethales observentur. Vindices itaque has pagellas emisit Chirurgus, in quibus Læsionis ejusque Curationis historiam exponit, & in hac prolixis circumstantiis duas satis ingentes utriusque cranii lateris depressiones, cum notabilis fragmenti ac portiunculæ cerebri per meninges laceratas separatione atque secessu, sine ullis fere symptomatis,

ptomatis, brevi a se curatas & consolidatas testatur. Quo facto, nullum vulneratum prognostico facile relinquendum, hinc nec de Cerebri atrocioribus plagis, utut eas Hippocrates lethales pronunciet, desperandum esse monet, modo illæ sufficienter, pro materiæ purulentæ ac saniosæ egressu, patescant. *Roonhuysii* proin atque *de Foj* sententiam, qua ideo, quod dura mater calvariæ extra suturarum etiam tractus, i. e. ubique adhærescat, Trepanationem absurdam atque inutilem volunt, reprobat & per argumenta non minus ac experientiam destruit. Quibus demum ultra sexaginta Scriptorum, Cerebri vulnera non absolute lethalia, sed frequentius sanata, profitentium observationes atque testimonia subnectit, per Epilogum satis invectivum Antagonistam suum dimittens.

RELATION DE LA RIVIERE DES AMAzones, traduite par Mr. de Gomberville sur l' original Espagnol di Christophle d' Acũna Jesuite.

id est,

Relatio de flumine Amazonum Hispanice conscripta a Christophoro Acugna, ac in Gallicam linguam translata a Dn. Gombervillio.

Parisiis, 1682. in 12.

TRactatus hujus autor primi voluminis loco prolixam præfationem, quam *Dissertationem* vocat, præmisit: cujus scopus est, ut ostendat, jus quoddam esse Gallis in Americam navigandi & colonias eo mittendi: Id enim statim tentasse, postquam Hispani regiones illas detexerint. Probare hoc nititur ex ipsis Hispanorum scriptoribus, & inprimis Hieron. Benzonio Italo. Extollit gentis Gallicæ, & præcipue Oleronensium, maris Aquitanici insulam incolentium, maritimam peritiam, qua Britannos & Batavos anteiverint, & leges nauticas optimas, quæ ab illis ad Suecos & alias Septentrionalium regionum gentes delatæ fuerint. Cum itaque Galli ad latus Americæ Orientale, insulam Cayenam, fluvio cognomine a continenti separatam, jam a longo tempore possideant, animum eis, aliisque Gallis, facere videtur, ut majora tentent. Id metuisse dudum Hispanos putat,

nec aliam ob causam Christophori Acugnæ librum, quem nunc a Gombervillio ex Hispanico Gallice versum exhibet, suppressum esse. Hunc enim in finem Acugnam ad explorandas illas regiones, & imprimis celeberrimum Amazonum flumen A. C. 1639 ab Hispaniarum Rege destinatum fuisse, ut stationes navium a Gallorum, Anglorum & Batavorum incursu tutiores, & novam commerciorum viam inter Peruviam & Brasiliam indagaret. At postquam defectione Lusitanica A. C. 1640 Brasilia Hispanorum potestate excidit, & Para, Colonia & munimentum Lusitanorum, ad ostium Amazonii, scopo illi jam servire non posset, satius visum Hispanis, relationem Acugnæ ad notitiam æmularum nationum non pervenire; ita factum, ut nullum libri exemplum, nisi forte in Bibliotheca Vaticana, supersit, præterquam illud, ex quo Gombervillii versio facta est. Constare vero ex scriptore hoc dicit, fabulosa esse, quæ de Maragnono fluvio, de regione aurata (*Dorado*) de ingenti Parimæ lacu, aureum sabulum habenti, sive in libris narrent, sive in tabulis describant Hispani. Hæc & alia dissertationis capita primum tractatus volumen faciunt.

Succedit *Acugnæ historia*, in duas partes divisa. Fatetur tamen qui edidit Anonymus, ab interprete Gallo ex vetustioribus Scriptoribus interpolata esse priora capita, in quibus Pizari & Orelliani navigatio A. C. 1539 cœpta describitur. Ex his Orellianus miserrima morte ulteriorem indagationem prævenit: periit etiam Petrus Orsua in eodem conatu A. C. 1560. Nec mitius fatum experti sunt duo Jesuitæ A.C. 1606 ab accolis, dum Christianam religionem prædicarent, necati. Frustra etiam fuisse scribitur Franciscus Coellus, Paræ supradictæ Præfectus, qui A. C. 1634 fluminis investigationem tentavit. At eodem tempore monachi duo Franciscani ex regione Peruviæ Quitensi secundo amne ad Param usque vecti, barbaros humanæ carnis devoratores reperisse se affirmarunt, sed cum monachi isti indocti & rudes essent, nihil relatione dignum observare aut referre potuerunt. Horum tamen qualicunque narratione motus Brasiliæ Gubernator Lusitanus, Petrus Noronia, A. C. 1639 Petrum Texeiram centurionem, cum lintrium classe, quæ 70 milites Lusitanos, & 2000 fere Americani generis homines utriusque sexus vehebat, adverso flumine submisit, qui post annum integrum ad Quitum, Hispanorum (sive Castellanorum) urbem in Peruvia Septentrionali, pervenit, a læ-

a lætantibus quidem in speciem Hispanis Quitensibus exceptus, sed utriusque gentis, uni licet tunc Regi Hispanorum subjectæ, æmulatione, parum comiter, eo tamen prætextu remissus, ut secundo flumine Param, unde venerat, delatus, accuratius cursum ejus, & situm regionum exploraret. Additi vero sunt Hispani comites, ipse hic scriptor *Acugna*, cum socio Andrea Dartieda, qui diligenter omnia observarent, & ad Regem referrent. Discesserunt ex colonia Quitensi Januario mense A.C. 1639, & enavigato fluvio post me nses decem Param attigerunt.

Oritur vero flumen, quod Maragnoni & Orelliani, plerumque autem Amazonum nomine nosci cœpit, haud procul Quito in montibus; plurimisque & magnis amnibus ex utraque ripa acceptis, cum per leucas Hispanicas 1356 cursum ab occidente in orientem continuavit, ostio 84 leucas lato & innumeris insulis repleto in Oceanum præcipitatur, servato aquarum suarum alveo & dulcedine ad 30 leucarum spatium: Æquatoris lineæ fere parallelus 3, 4, aut ad summum 5 gradibus meridiem versus ab ea divertens. Præferendus itaque maximis orbis terrarum fluviis. Ad 600 fere leucarum spatium orgyjas 30 aut 40 profundus est, habetque abyssos, quæ mensuram non admittunt. Accolis & navigationis commodum, & piscium mirabilem copiam suppeditat, inter quos optimi & sapidissimi habentur, quos indigenæ *Pege Buey*, Galli *Lamantins* vocant. Eorum pinguedo butyri vicem præstat. Aqua fluvii salubris & incorrupta in navibus longissimo durat tempore. Testudinibus magnis plenus est, magna scuta in dorso gerentibus. Has capiunt, percussa cum ingenti sono aqua stupefactas. Regionum adjacentium & modicis clivis assurgentium summa perhibetur fertilitas, aer temperatissimus & salubrior, quam in tractu Peruviano. Refrigeratur enim ab altissimorum montium perpetua nive & flantibus inde ventis; sic falsi convicta antiquitate, quæ regionem Zonæ torridæ inhabitabilem credidit. Perpetuo viret terra, sed hyemis loco inundationes habet. Materiam ædificiorum flumen suggerit, cedros ripis abrasas devehens, quas *cordelieres* sive cingula vocant. Fluitantes ita arbores accolæ, ut lubet, sistunt & usibus suis aptant. Gossypii, Tabaci & Sacchari magnus proventus est. Radices in cibum & potum sufficiunt. Auri feracissimas esse provincias illas & celebratissimis Potosi fodinis opulentiores,

res, ſperant potius, quam demonſtrant, qui hæc referunt, ab incolis, ut plurimum mendaciſſimis, forte deluſi. Circuitus regionum harum, quas 150 diverſis nationibus inhabitari perhibent, ad 4000 leucas computatur. Incolæ feri & fortes ſunt, ſed Europæis minime comparandi; arma habent miſſilia ex ligno, (carent enim ferro & ære) eaque tanta jactant vi & ſolertia, ut hominem ſtatim transfodiant. Scuta ex juncis vel ex piſcium corio contexunt. Commercium omne in lintribus exercent, ex cedris cavatis igne aut lapide, niſi ferramenta a peregrinis accipiant. Nudi incedunt, nullo pudore: idola parva, ſibi ipſis ex ligno fabricant, ciſtis incluſa ſervant, variisque rebus præficiunt, ita ut aliud belli, aliud fertilitatis vel alia cauſa venerentur; nec id faciunt, niſi cum opus auxilio eorum habere ſe putant. Videntur tamen Deum aliquem idolis illis ſuperiorem, & mundi dominum, agnoſcere, nec advenis de eo loquentibus fidem denegant, ut non difficile habeatur, eos ad religionem Chriſtianam permovere, niſi Hiſpanis & Luſitanis (ut queritur ipſe ſcriptor Acugna) id potius cordi eſſet, ut ſub variis prætextibus gentem opprimant, & captis pro mancipiis utantur. Incantatores aut impoſtores ſacerdotum, magiſtratuum & medicorum loco habent, inter quos ſunt, qui ſe Deos eſſe jactant. Mortuorum corpora quidam ſemper aſſervant, alii comburunt. Exequias plurimis diebus magno ploratu, dein potu immodico celebrant, qui ex radicibus fermentatis non minus, quam vinum aut aliæ, quibus nos utimur, potus ſpecies inebriat. Affabiles etiam & hoſpitales eſſe ſcribuntur, quique bello captos clementer tractent, nec niſi in quibusdam regionibus, & raro oſtentandæ vindictæ cauſa devorent. Induſtrii ſunt ad lignea & figlina vaſa affabre facienda. Auri nullum uſum ſciunt, quam ad narium & aurium ornatum. Corpora habent bene compoſita, colore olivæ, ſed Braſilianis minus fuſci ſunt. Conſtanter affirmant, & nanos, & gigantes in regionibus his reperiri, & qui pedibus retrorſum verſis naſcantur, neque dubitandum de mulieribus, quæ in altiſſimis montibus habitant, advenas ſagittis repellunt, & Amazonum exemplo ſingulis annis ad vicinos deſcendunt, viris que ſe permittunt: incertum tamen eſſe, an mares, quos pariunt, interficiant, an patribus remittant. Hæc & plurima alia, cum locorum & gentium horridis nominibus refert Acugna, ejusque interpres, multaque notat, ex quibus

bus Geographicæ tabulæ corrigi possent. Subjungit invectivas in Europæos, qui media negligant, homines illos ad Dei cognitionem & mores meliores quibus facile videantur imbui posse, placido modo & bono exemplo adducendi: imo eos persequantur aut vitiorum suorum contagione pejores efficiant. Tantas vero opes provinciis illis inesse statuit, ut toti orbi ditando suffecturæ sint, omnesque adeo nationes ad colendas illas terras invitat. Ostendit etiam commoditatem coloniæ novæ & quæ Paræ præferri possit, in æstuario fluminis, insula nempe quam Solis vocant, constituendæ. Cæterum magna hujus tractus pars Goyana vocatur, inter Orenoquium & Amazonum fluvium, cujus promontorium, sub nomine *Capitis del Nort*, nautis celebratur.

Partem denique hujus tractatus constituit *Relatio Joh. Grilleti Jesuitæ ad Præpositum suum* scripta, cum diario itineris A. C. 1674 ex Cayena insula in mediterranea suscepti, ad explorandas gentes quasdam intra tres gradus latitudinis æquinoctialis habitantes. Misertima fuit hæc profectio, tum ob navigationis periculum, cum lintribus amne Cayena, & postmodum Uuia subvecti, cataractis & saxis impedirentur, ita ut lintres aliquoties extrahere aquis, & per montium & sylvarum invia bajulare cogerentur; tum ob summam omnium rerum penuriam. Comites quosdam & viæ duces habuere ex Galibum gente, quæ oram maritimam incolit, quorumque linguam aliæ nationes intelligunt. Adierunt per 170 leucarum spatia aut anfractus, Noraguios & Acoquas, ad fines usque Merciusorum. Repererunt autem exiguum, pro locorum vastitate, incolarum numerum, casis vilissimis & dispersis habitantium, tenuique victu ex radicibus, sicut alii earum regionum homines, vitam tolerantium. De moribus quæ referuntur, hæc fere sunt: Dei quandam notitiam habent, sed rudem admodum, ita ut corporeum potius, quam spiritum esse concipiant. Dæmones esse fatentur, sed ejus naturæ, ut a medicis seu sacerdotibus suis, nugatoribus insulsissimis, pelli, imo & occidi possint. Idololatria fere carent. Animam superstitem corpori esse opinantur. Polygamiam licitam habent, neque tamen omnes affectant. Concordes satis cum suis & inter se vivunt. Ineptissimum morem, qui Septentrionalibus quibusdam populis tribuitur, aliqui servant, ut mariti, quando uxores pepererunt, decumbant, & gratula-

tiones

tiones aliaque, quæ puerperis exhibentur, accipiant. Industrii sunt & laboriosi; viri piscatione & venatu occupantur, fœminæ domus & victus cura, & concinnandis lectis pensilibus, quos *Hamac* vocant, quique in Europa jam satis noti sunt. De auro sive metallo (generis enim nomen omnibus speciebus tribuunt) & de aurifodinis interrogati, nihil quod responderent, habuerunt. Ferramenta maximi faciunt, iisque oblatis faciles ad omnia se præbent. Barbaries tanta illis non est, quanta vulgo creditur. Agnoscere videntur justitiam, & naturæ legem de mutuis officiis; & de religione Christiana loquentes Jesuitas non illubenter audierunt. Memorat autor imitatos esse quosdam ex barbaris, juniores præsertim, cantum Ecclesiasticum, & formulas orandi B. virginem, crucis etiam signum formasse: permisisse dein, ut ex adultis unus & alter, atque infantes quidam, sed lethaliter decumbentes, baptizarentur. Conferentibus hæc cum Acugnæ historia apparebit, satis convenire mores & instituta gentium; sed jactata ab illo terræ felicitas & incolarum frequentia, in hac Gallorum peregrinatione non reperitur. Subjicitur tandem brevis Goyanæ descriptio, de qua supra jam aliquid dictum est.

BREVISSIMÆ JURIS CANONICI INSTItutiones præcipuis illius Definitionibus ac Divisionibus contextæ.

Parif. 1682, in 12.

NOn bene studiis suis consulunt, qui in addiscenda Jurisprudentia initium ab enodatione controversiarum ac conciliatione textuum faciunt, antequam terminos ipsos, ex quibus propositiones Juridicæ constant, eorumque significationes technicas intelligant; cum hoc pacto fieri aliter haud possit, quam ut, si in diversos autores incidant, vocabula juris diversimode accipientes, confusam juris notitiam firmiter hærentem, nec facile emendabilem sibi comparent. Unde optandum foret, ut cuilibet disciplinæ, more eorum, qui Mathesin profitentur, præmitteretur brevis ac succincta, methodica tamen vocum technicarum explicatio. Id enim uti brevi temporis spatio fieri poterit, ita apparebit, hac leviore via ingressos studiosos maturius ad id perduci, ad quod ea neglecta serius istis fuisset progrediendum.

Et

Et hæc etiam ratio fuisse videtur, quæ Autorem præsentium Institutionum Juris Canonici, ut easdem conscriberet, commoverit. Quæ uti nihil nisi terminorum in Jure Canonico occurrentium Definitiones ac Divisiones proponunt, atque perspicuitate pariter ac brevitate sese commendant; *ita etiam ob hanc causam* laude dignus est autor, quod methodo in iis usus fuerit proxime ad ordinem Imperialium Institutionum accedente, neque adeo vel Pontificum, quam in compilatione Decretalium adhibuerunt, vel Lancellotti dispositionem fuerit secutus. Postquam enim de Jure Canonico in genere quædam præfatus esset, *Libro I* de Jure Personarum tractat, ibique personarum Ecclesiasticarum, ut & Judicis ac arbitrorum Ecclesiasticorum differentias, officia, constitutionem, & contraria exponit. *Libro II* Rerum Divisionem aggressus, summariter eas in spirituales & temporales distinguit; ad spirituales Sacramenta 7 (ex hypothesi videlicet Pontificiorum) tum & alias res sacras ac religiosas; ad temporales vero decimas, primitias, & oblationes referens, iisque tractationem de beneficiis & Jure Patronatus subjungens. *Liber III* obligationes ex contractibus & delictis exhibet. Unde hic de pactis & contractibus in genere, tum de contractuum speciebus singulis secundum ordinem Justiniani agit. His deinde ultimarum voluntatum tanquam (ut ipse loquitur) contractibus accedentium, & ultimis voluntatibus sepulturarum (quod eæ plerumque in testamentis eligantur) considerationem annectit. In delictis ab iis, quæ Divinam majestatem lædunt, ad ea, quæ proximo damnum inferunt pedem promovet, tractationem pœnarum Canonicarum iisdem adjiciens. Denique in *quarto ac ultimo Libro* capita singula processus qua civilis qua criminalis summariter delineat, & ita finem opusculo imponit. Eos igitur qui Autoris hujus tradita sedulo imbiberint, cum fructu non pœnitendo lectionem Decretalium, vel eorum, qui super Decretalibus commentati fuerunt, accedere posse, nulli dubitamus.

RECUEIL *de* VOYAGES *de* Mr. THEVENOT.

seu

Syllabus itinerum Thevenotii, dedicatus Regi. Paris. Ann. 1681. in 8.

APpendix hic libellus est majoris Operis in quatuor partes distributi, quo complurium itinerum Relationes, Scriptaque alia res Orientis illustrantia, quorum index tribus paginis constans præfationi Opusculi hujus subjicitur, typis Thevenotus particulatim edidit. Continentur vero & hoc libello tractatus & dissertationes non unius generis, plura quam titulus promittit exhibente. I *Tabula navigationis Abelis Tasmanni*, ad oram terræ Australis, ex qua autor deducit, partem Javæ meridionalem non adhærere, ut creditum est, terræ alii, sed a Tasmanno circumvectam, atque ita insulam esse. II *Iter Marquettæ & San-jollieti* Jesuitarum ex nova Francia sive coloniis Gallorum in America Septentrionali, in partes occidentales Ann. 1673, per varia flumina, inter quæ maximum *Missisipy* vocatur, susceptum, in quo plurimas gentes, antea fere incognitas, aut parum exploratas adierunt. Sed cum iter hoc ultra quatuor menses non duraverit, & annis postea secutis, *Ludovicus Hennepinus* in easdem regiones, & ulterius delatus, inque iis ad triennium usque versatus, ampliorem historiam ediderit, cujus excerpta *Acta nostra* exhibebunt, superfluum visum est, ex brevi hac commentatione multa referre. Urbanitatem saltem barbaricam notare libuit, quam quidam, qui se *Ilinos* id est homines vocant, aliis scil. ob ingenium & mores præferendos, Marquettæ & socio in convivio exhibuerunt. Erat nempe, qui hospitibus frusta cibi, vilissimi licet, ita ingereret, ut pullis avium fieri solet. Inter fercula, quatuor in universum, canis assatus erat, summis in deliciis populis illis habitus: quem tamen, hospitum gratia, eum aversantium, amoverunt. De usu quoque fistulæ, qua tabaci fumus attrahitur, quam *Calumetum* vocant, mira narrantur, utque ea non tantum in conviviis & choreis, sed & caducei loco in negotiis publicis bello & pace, adhibeatur. III *Historia itineris, quod Legatus Moscoviticus, Ann. 1653, in regiam Tartarorum Cambalu, sive Peguinum Chinense*, suscepit. Ex hac Tabularum Geographicarum errores autor eruit. Memoratur v.g. *Irtis* fluvius, quo ex *Tobolo* metropoli Syberiæ egressus legatus ultra quatuor septimanas navigavit, antequam in *Obin* deferretur. At Irtim, ait, in chartis vel frustra quæri, vel male notatum inveniri. Dein oppida plurima inter *Jenicsum* fluvium usque ad promontorium *Tabinum* collocata, aut non reperiri, aut manifestæ falsitatis argumento, bis poni, primo sub gradu 55, dein sub 42; nec recte murum Chinensem notatum esse. IV

Disser-

Dissertatio ad rem nauticam pertinens, in qua quinque problemata ab autore proponuntur. (1) de constructione libellæ perpendicularis ad Horizontis rectitudinem observandam, quam ex fistula pellucida vitrea fieri posse existimat, humore puro, nec frigori cedenti, (e.g. spiritu vini) repleta, eamque apposita figura describit. (2) hujus ope elevationem poli exactius indagari posse statuit, etsi Horizon videri non possit. (3) modum suggerit ad mensuram graduum cœli cum milliaribus terræ exæquandam & computandam, quod difficulter fit ob basium trianguli brevitatem. Basin itaque convenientis magnitudinis in maris littoribus glacie concretis, a *Suecia ad Curlandiæ* oram designari posse sperat, si cura & sumtus regum accedat. (4) modulum inveniendum esse monet, quem omnes nationes capiant ad metiendas leucas, aut alia spatia, certius quam per palmas, grana, crines, aut per pedem Anglicanum, quem *Gravius* pyramidibus Ægyptiacis inscripsit, aut pendulæ ope, quam alii commendant. Putat autem cellulas in favis apum, id mensuræ suppeditaturas esse, cum eadem dimensione in plurimis & dissitis provinciis reperiantur; prius tamen explorari debere, an ubique v.g. in *Ægypto, Moscovia, Mexicana regione*, eodem modo se habeant. Digreditur hac occasione ad observationem figuræ sexangularis, quæ in favis accurate servatur, & aptissima est ad implendum aliquod spatium, sive pavimentum sine interstitiis vacuis, & Philosophorum speculationem de figuris solidis, spatia solida replentibus, solertia apum confundi notat, de qua merito dici possit: *in tenui labor; at tenuis non gloria.* (5) Declinationem magnetis ulteriori observatione egere docet, neque superioris seculi inventioni tribuendam esse monet, allegata epistola manuscripta cujusdam Petri Adsigerii, qui jam anno 1269 quinque graduum declinationem observaverit. Addit ex sua observatione per annos fere quindecim, haud procul Lutetia habita: variare acum singulis pene annis, & aliquando longius, aliquando propius a linea discedere, aliquando locum immotum tenere. V Accedit ex alio scientiæ genere, *Sectio & descriptio*, additis figuris, *insecti*, quod Aristoteles *Ephemeron* vocat, & uno die nasci & mori credidit. Sed hic ostenditur, non nasci, sed prodire ex verme, in cœnosis Rheni & Vahalis ripis per annos tres latitante, paucisque inde horis vivere. Additur tunica *Erucæ* mirabilis structuræ, accurate depicta; tum *Cancelli* marini anatomia, & tandem index plurimo-

rum insectorum, multarumque partium ex animalibus, quæ raritate memorabili asservabantur in celebri armario *Suammerdami*, Doctoris Medici, ejusque patris; quod tunc Amstelodami venum prostabat. Præfatio opusculi præter quædam jam notata, aliaque lectu digna, tractat etiam quæstionem vexatam de via terrestri, qua homines in Americam provenerint. Accedit vero autor eorum sententiæ, qui Isthmos, per quos via patebat, *inundationibus* submersos fuisse statuunt. Id vero fieri posse & debere ostendit, maris superficie, ob centri terrestris mutationem, quæ varias causas habere possit, librata, & in terras adjacentes expulsa, alicubi etiam retracta: quod accidisse existimat in Gallia, ubi irrefragabiles notæ evincant, Oceanum ad Lutetiam usque pertigisse, qui nunc 40 leucis ab ea dissitus sit.

LETTERE DI GIAN PAOLO OLIVA, Soc. Jes. Tomo II.

Sive

Johannis Pauli Olivæ, Soc. Jes. Epistolarum Tom. II. Venetiis. 1683, in 4.

ENcomii, quod primo harum Epistolarum Tomo in Actis mensis Aprilis proximi tribuimus, pœnitere nos non potest; Admirabilis enim in hoc quoque tomo apparet eloquentia & elegantia, cum inventionis & judicii acumine. Continet autem epistolas 432, incipiendo a 568, & finiendo in millesima. Rogamus hac occasione Lectores Benevolos, ut mendum in recensione Tomi Primi admissum corrigant: Irrepsit enim numerus 5651 pro 568. totidem enim nec plures epistolæ in primo illo tomo habentur.

HISTORIA DELLE GUERRE D' EUROPA arrivate dall' Anno 1643, in fino all' anno 1680, descritta da D. Pietro Gazzotti.

Sive

D. Petri Gazzotti Historia bellorum in Europa ab A. 1643, ad an. 1680, gestorum, descripta a D. Petro Gazzotto, & dedicata Serenissimo Mutinæ Duci Francisco Estensi. Venet. 1681. in 4.

Opus

Opus hoc historicum pro immensa materiæ amplitudine, compendiosum dici potest, & autoris eloquentia & judicium in eo cum laude deprehenditur; quod & concinne ordinavit diffusa, & terse atque perspicue elocutus est. Nec ingenuitas ejus dissimulanda, qua Lectorem monet, *Titulum* latiorem contentis esse, non suo proposito, sed ob preces Typographi, quibus moveri se passus sit ad illam epigraphen, cum ipse non aliam libro præfixisset, quam *de bellis inter Galliam & domum Austriacam.* Sed excusationem hanc tanto facilius tueri potest, quia occasione illorum bellorum nihil non commemorat, in aliis Europæ partibus gestum, non bello tantum sed & pace, atque ita plurima relatu dignissima exhibet. Distributum est volumen in partes duas. Prima incipit a morte Ludovici XIII Galliarum Regis, & progreditur ad narrationem usque Pacis Pyreneæ, & congressum Regum in finibus utriusque regni An. 1660. Altera absolvuntur reliqua, usque ad Pacem Neomagensem & finem anni 1679. De stylo jam diximus, neque de veritate quæ anima historiæ est, dubitandi causa apparet. Errata non pauca in orthographia nominum præcipue extra Italiam, quivis facile deprehendet, sed &, si peritus locorum & hominum est, non difficulter corriget: At imperitos hæc non morantur. Faciles sunt hi lapsus, linguas præter Latinam & ex ea deductas non callentium, adeoque a paucissimis scriptoribus exteris alieni.

IL SOLENNE INGRESSO ALLA PROcuratura di San Marco dell' Illustrissimo & Excellentissimo Sig. Girolambo Basadonna &c.

h. e.

Solennis ingressus ad Procuraturam S. Marci Viri Illustrissimi & Excellentissimi Domini Hieronymi Basadonnæ, duabus epistolis descriptus in perpetuam hujus fausti diei memoriam, una cum aliis hac occasione scriptis, colligente & curante Co. Francisco Damiani.

Venetiis Anno 1683. in 4.

Posteaquam vivis superiore anno excessisset *Johannes Maurocenus*, Divi Marci Procurator, quem superstitem adhuc ab *Antonio de Grassis* in *Megaloprepeia Maurocena* mirifice celebratum nuper diximus, id dignitatis atque functionis apud Venetos longe splendidissimæ unanimi Patritiorum ac populi suffragio collatum est excellentissimo viro *Hieronymo Basadonnæ*, absenti licet, & minime tale quid ambienti. Quam D. Marci Procuraturam cum divinitus veluti evocatus d. 27 Septembr. ejusdem anni suscepisset, seque suetâ magnificentissimi ingressus pompa inaugurari fuisset passus, suarum partium esse existimarunt felicia Italiæ in tractu illo ingenia, illustrem hunc novi Procuratoris introitum longe illustriorem ac magis auspicatum gratulationibus atque ominationibus suis, iisque qua prosis qua versis, reddere. Sed periissent tandem, ut fieri amat, tot egregia tam præclarorum ingeniorum meletemata, nisi quæ dispersa hinc inde jam erant, conquisita undique, inque justum redacta volumen essent a *Co. Francisco Damiani*. Hic enim elogiorum horum & collector fuit & editor, hoc ipso devotissimam animi sui mentem Procuratori approbaturus novo, Charitesque ejus beneficas sibi propitiaturus. Præcedunt in hisce Prosaria, *duæ* videlicet *Epistolæ* perquam elegantes, altera *Christophori Ivanowich*, ad D. Marci Canonici, altera *Vincentii Scipionis*, Prætorii Patavini Cancellarii; *duæ* itidem *Orationes panegyricæ* coram ipso Procuratore novo habitæ, altera quidem a *Johanne Baptista Magnavini*, Cive Veneto, altera a *Francisco Sylvani*, Academico pacifico & Paragonista. Quod *Epistolas* attinet, prima pompaticum Basadonnæ ingressum non indiserte describit, cui altera respondet hieroglyphice pompam omnem exponens, laudesque exinde novi Procuratoris ingeniose exsculpens. Quod *Orationes*, prima Basadonnam dignissimum hoc munere tum ob natales splendidissimos, tum ob vitam virtutibus meritisque maximis conspicuam ostendit. Ex majoribus autem duos saltem *Johannes Basadonnas* repræsentat, quorum unus, proavus *Hieronymi* hujus, Venetæ Reipublicæ ad Carolum V Hispaniarum, ad Franciscum I Franciæ regem, ad Maximilianum Sfortiam, & Paulum III Pontificem Orator extitit, postque obitas summa cum laude legationes, volumen Dialogorum, abstrusam undique Philosophiam de se spirantium, conscripsit; alter, patruus ejus, Oceanum omnem fuit emensus, Utinam etiam defensavit, Bre-

sciam

sciam restauravit; senatusque concilium per biennium solus & unus sustinuit. Sed nec propria *Hieronymi Basadonnæ* tacentur facta atque merita; referuntur quippe in eadem oratione ejus studia, virtutes, atque honores hactenus gesti, Senatoris videlicet, Decem-viri, Prætoris atque Consiliarii; ex quibus & non vane conjicit Orator fore, ut ad Principalem aliquando dignitatem evehatur. Oratio altera ejusdem propemodum est argumenti, nisi quod in laudes quoque fratrum trium, *Petri* imprimis, Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, nec non *Johannis* & *Antonii*, qui & ipsi duo Reipublicæ Venetæ sunt lumina, ut & filii *Ludovici* evagatur. Orationibus proxime & longa quidem serie subjiciuntur carmina Italico partim, partim Latino idiomate conscripta, inscriptiones item valde argutæ, anagrammata, aliique lusus poetici complures. Quorum autores uti tum ingeniosæ inventionis, tum scitæ dictionis certamen instituisse quoddam videntur, ita plurimi tam Hieronymo Basadonnæ, novo D. Marci Procuratori, quam fratri ejus Petro, Cardinali, summum fastigium, huic quidem in sede, ut vocant, Apostolica, & illi in Republica Veneta, & augurantur & apprecantur.

MENS IMMORTALIS, contra Atheos Scepticosque demonstrata à Johanne Eberhardo Schwelingio. Bremæ. 1683, in 12.

MEntis immortalitatem firmioribus sua opinione rationibus, quam sectarum aliarum philosophi hactenus fecerunt aut præstare possunt, asserturus Dn. Schwelingius J. U. D. ejusdemque ut & Philos. in Gymnasio Bremensi Professor, methodo Philosophiæ Cartesianæ procedit. Varia itaque demonstrationi suæ præstruit. *Primo* abjicere jubens omnia rationis ac sensus præjudicia fallacia, ponit primam veritatem: *Cogito; ergo existo.* Hanc, ait, indubitatam unice reddi a visione intellectuali sive evidentia vel clara distinctaque perceptione; hincque infert, infallibile omnis veritatis criterium esse: *quicquid clare distincteque percipitur, verum est.* Hoc cum cognito Deo manifestum fiat a priori, *Secundo* Numinis demonstrat existentiam, essentiam, atque attributa nonnulla scopo Tractationis ancillantia.

DEI

DEI existentiam probat (1) ab idea vel clarissimo distinctissimoque conceptu DEI h.e. entis perfectissimi in nobis. (2) a dependentia illius ideæ entis perfectissimi, ab ente perfectissimo. (3) a productione & conservatione sensibilium creaturarum. Attributa, esse spiritum (vel rectius mentem) æternum, omniscium, optimum, sanctissimum, justissimum, omnipotentem, veracissimum, & reliqua, ex conceptu perfectissimi colligit. *Ex quo porro deducit*, omnia a DEO ceu Creatore, ceu Conservatore, ceu Directore, h.e. (ut ex hypothesi Reformatis accepta explicat) Præmotore ac Cooperatore pendere, ipsumque scientia & operatione (qui tamen modus adessendi divinus neq; Theologis Reformatis sufficit) in omnibus esse. Præ cæteris probe vult observari, cum substantiæ omnium rerum a solo Deo creatæ sint, perque continuationem virtutis creandi unice conserventur, *nullas* earum posse desinere in existendo durante illa creandi vi: proinde *solum* DEUM aliquid etiam nihil facere; philosophis autem uti de *nova* creatione, ita etiam de annihilatione temere h. e. citra experientiam, rationem, aut DEI ipsius testimonium non loquendum esse. Ex summa DEI veracitate, qua fallere ipse non potest, mentibus hominum potentiam convenire rebus accurate conformem, qua infallibiliter judicare possimus, res id esse, quod in mente nostra per intellectum revera, h. e. clare & distincte cognoscimus. Quare conscientiæ vel rationis dictamini ceu voci divinæ parere singulos teneri.

Tertio Animæ, (rectius Mentis, quia minus ambigua vox) cum existentiam, tum essentiam adstruit. (1) quia existere mentem nostrã, a corpore revera distinctam, nullo modo reddi dubium potest. (2) quia sine extensione vel corpore anima rationalis se potest cognoscere: Ergo extensio vel corpus non pertinet ad essentiam ejus. (3) sine cogitatione anima rationalis se nequit cognoscere, estque cogitatio omnium animæ rationalis attributorum realium primum, quo ea necessario est id quod est: Ergo cogitatio est essentia animæ. (4) ex actibus mentis cogitationes indicantibus, qui sunt colloqui, scribere, æstimare gestibus & lingua res mere incorporeas, quas inter DEUS: numeros addere &c. Exinde suapte sponte fluere docet, mentem in genere (cum ea sit res a corpore realiter & essentialiter distincta) esse substantiam essentialiter adeoque intrinsece mere cogitantem. Hic voce cogitationis monet non intelligendum esse actum aliquid cogi-

tandi vel cogitandi certum objectum (qualis cogitatio accidens mere contingens est) sed actum duntaxat cogitandi, ad quem mens se habeat mere subjective, non causaliter, qualis spectat ad esse mentis substantiale, diciturque cogitatio substantialis, uti v.g. igni focali essentiale est non calefacere *hoc vel illud* circumstans, sed calefacere; Corporis autem essentiam ponit in extensione per se subsistente. Ex Essentia mentis cogitatione deducit (1.) simplicitatem, i.e. negationem compositionis ex partibus realiter ab invicem distinctis; (2.) duas Facultates, *quibus* mens independenter a corpore aliquid potest. videl. Intellectum per quem res sibi in imagine repræsentare; & voluntatē, per quam intrinsece ad agendum se determinare valet; (3.) existentiam peculiarem a corporibus; (4.) mentes esse nullibi locorum, esse tamen præsentes sibi, i.e. in se & apud se; præsentes objectis variis cogitatis, rebus in quas operantur, & a quibus juxta DEI voluntatem patiuntur; (5) mentem non posse agere extra se in corpus vel in alias mentes physice, i.e. actione a se proficiscente & passum contingente, sed agere duntaxat ad extra moraliter, dum quod ipsa serio vult, Deus physice divinæ suæ voluntatis efficacitate peragit: neque vicissim ullum corpus posse in mentem agere physice (quod iterum repetit veluti præcipuum hujus disputationis cardinem). Similiter hinc patere putat, reciprocam animi ac corporis nostri actionem & passionem unice fundari in voluntate divina, nec a mente physice moveri membra corporis, sed moraliter, dum ille, quem mens serio vult motus, propter conjunctionem animæ & corporis, DEO ita volente, adest. Quod animæ & corporis in unione commercium prolixius declarat, supponens corpus nostrum esse automatum hydraulico-pneumaticum, cujus crassiusculæ partes inter se venis, arteriis, nervis horumque propaginibus, aliisque subtilioribus sive *roriferis* sive lymphaticis vasis connexæ, invicem se plurimis modis afficiant, moveanturque originarie, partim a corde agente fluvio sanguinis ad functiones mere naturales, partim a cerebro operante flatibus animalium spirituum ad functiones animales: atque illorum spirituum animalium e glandula pineali cerebri scaturitionem esse instrumentum occasionale vel morale, quo mens agit patiturque. Ex quibus dignitatem hominis extollit, qui creaturas reliquas intellectu comprehendit, regit ac determinat; libere omnia agit, loquitur, imaginem re-

fert æterni numinis, & exinde æternitatem appetit vivendi apud DEUM, qua nihil novit melius sibi esse. Officium suum ergaDeum capit esse amorem, vel laudem continuam ejus, vel perpetuam erga eum obedientiam.

Quarto ostendere satagit, animas rationales a solo Deo produci ex nihilo, productasque uniri corporibus in utero matris plene organisatis.

Quinto declarat, vitam proprie significare actuositatem, quæ mentibus essentialis & maxime intrinseca sit, ut actuositate negata mentium existentia negetur: Usu communi vero vitam corporum notare conjunctionem automaticam, ex qua, quamdiu incorrupte se habet, functiones oriantur. Ei oppositam mortem esse automaticæ conjunctionis dissolutionem totalem, qualis in sola corpora cadat. Corruptio, pergit, pinguiuscule accepta continet annihilationem & modum desinendi compositione vel divisione. Hæc desitio in mortem, & corruptionem speciatim dictam, quæ est naturalis aut violenta, distribuitur. Compositione ac divisione desinunt corpora duntaxat, vel (quo homo reducitur) res partibus præditæ invicem distinctis. Mors hic opponitur automaticæ conjunctioni. Corruptio speciatim dicta est corporum inanimatorum, quæ mutari possunt variis modis in res alteras, vel propter intrinsecus alterabilia principia, quibus constant (uti ova putrescunt & acescit vinum) quæ corruptio dicitur naturalis, vel ob causam extrinsecus res conjungentem, (uti pharmacopæi sua miscent ægris catapotia) ictuve eas unico valide findentem (uti fulgetris ac turbine arbores & domus prosternuntur) diciturque corruptio violenta.

Sexto, nihil seipso unquam proruere ad interitum, in creato universo. *Septimo*, teneri quemlibet ratione duce in veritatem ac divinitatem scripturæ consentire.

His omnibus, quæ ad scopum tractationis adipiscendum putavit facere, præjactis, nunc vitam mentium humani generis æternam ac immortalem sequentibus argumentis evincere suscipit.

Primum: Nullo corruptionis genere mens humana perit aut perire potest. Non divisione, quia expers partium, simplex, realiter indivisibilis est: Non compositione, tum quia natura mentis tantum est cogitare, quæ essentialiter manebit eadem substantia, licet ipsi vel

centies centena millia corporum aut mentium aliarum annectantur; tum quia corpora variis constantia partibus realiter distinctis ita sola mutari possunt: Ergo mens hoc ipso quod nulla vel divisione vel compositione mutabilis est, neque mori nec corrumpi potest.

Non desinit anima hominis corruptione speciatim dicta, cum (1) simplex vel incomposita sit; (2) nulla in toto mundo existat caussarum naturalium & creatarum animam destruere potens. Non intus latent in mentibus principia, quæ alterari a naturalibus caussis eatenus possint, ut mentes per intrinsecam contrariorum actionem desinant, quod sunt, & incipiant quod non erant; Unum enim atque simplex duntaxat mentis est principium, nempe cogitatio substantialis. Non ab extrinseco; quia neque corpora, neque aliæ mentes creatæ physice animam attingere valent. Non corpora; 1. ob naturarum disproportionalitatem vel dissimilitudinem, per quam corpora mentes non attingere, mentesque idcirco nullam corporis alicujus actionem recipere in se vel pati possunt. 2. quia propter dissimilitudinem naturarum ne quidem mentes in corpora possunt physice operari; ergo multo minus corpora in mentes naturali præstantia robur corporis cujusvis superantes aliquid poterunt. Non mentes aliæ possunt nostris corruptionem speciatim dictam inferre; (1.) quia mentes nil ita corrumpere possunt aliter quam componendo & dividendo; Atqui compositione ac divisione mens nulla mutari potest. (2.) quia nulla mens creata agere quidquam potest extra se physice. (3.) nulli corpori auferri potest id, quo corpus est; Ergo multo minus mentibus naturaliter auferri potest, quo mentes sunt. Non possunt mentes a rebus creatis annihilari, cum opus hoc sit Deo proprium. Magis repugnat, eas posse per aliquid ipsis intrinsecum annihilari, quia nihil sibi contrariatur, sed cunctæ res, quæ existunt, habent semper rationem in se, qua sunt id, quod sunt, oppositam rationi, qua possunt non esse quod actu sunt. Quare non possunt nisi per rationem extrinsecam desinere vel non existere. Non denique DEUS annihilat animas; nam non solum frustra id assereretur, sed & repugnaret divinæ justitiæ, sanctitati, sapientiæ, bonitati, gloriæ.

Secundum ex consideratione nostri in utero desumitur. Sicut embryo in loculis maternis non coaluit ad jugiter ibidem hærendum, ubi

neque audire, neque videre, neque cæteras potentias, quibus pollet, explicare potest, sed ad abeundum in spatiosiorem locum, quem totuplicis facultatis suæ usurpatio exposcit: ita mens nostra, quæ per tenebrosum corporis carcerem, quo conclusa est, suas in exercendis naturæ viribus quasi compedes sentit, e corpore egredi debet &c. præsertim cum libera in corpus effluxerit a DEO.

Tertium est Alphonsi Regis, ex decremento Corporis progressione temporis, & mentis in perfectionibus incremento.

Quartum, quod summatim reliqua omnia complectitur, suppeditat notitia sui ipsius, ex qua homo novit conditionis suæ & causam DEUM; & officium, vivere DEO; & finem, vivere penes DEUM æternum.

Quintum est Platonicorum, a cibo mentis mere spirituali ac incorruptibili, ipsa nimirum veritate ac bonitate quam sitit esuritque; quo suo cibo mentes fruuntur plenius ac vivacius, quo a radice mortis materia abstrahunt longius. Ita pueri difficilem, faciliorem juvenes, promtissimam viri experiuntur intelligentiam & in bene agendo libertatem.

Sextum petitur ex mentis stupenda agilitate cogitandiq; celeritate, ratiocinandi solertia, discernendi, nullaque ad cerebrum & cætera corporis instrumenta reflexione facta percipiendi facultate, memoria præteritorum, ac providentia futurorum, artium & linguarum peritia, ex studio virtutis ad famam perennem &c.

Septimum a provocationibus ad vallem Josaphat; *Octavum* a duplici incommodo; inanes fore gentium religiones, quæ virtuti præmium, vitio supplicium statuerunt æternum; malos fore felicissimos, bonos infelicissimos.

Nonum ex conscientiæ testimonio, quod Epicureos & atheos in articulo mortis vexat. *Decimum* ex consensu præstantissimorum Sapientum tum apud gentiles, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ, aliorum, tum inter Christianos qui libris animæ immortalitatem evicerunt, imo gentium etiam barbarissimarum, Brasiliensium, Guinensium, Getarum, Ægyptiorum, Virginensium, Chinensium, Mexicanarum, Peruanarum, & illarum omnium, quibus sancta sepulchrorum cura & religio. *Undecimum* ex historia Veteris & N. Testamenti. *Duodecimum* ex Diaboli confessione apud Plutarch. lib. de sera Numinis vindicta.

Tandem

Tandem rationes adversus mentis immortalitatem pugnantes examinat & refellit.

BENJAMINI a BROCKHOYSEN, MED. & Phil.D. & in Athenæo quod Sylvæ Ducis, Professoris &c. Oeconomia Corporis Animalis,

sive

Cogitationes succinctæ de Mente, Corpore & utriusque conjunctione juxta methodum Philos. Cartesianæ.

Amstelodami an. 1683. in 4.

LIber in aphorismos CXXI distributus prodiit Noviomagi an. 1672 in Octavo; qui omnes in hac recente nostra editione repetiti sunt; posteriores plurimique nude; priores XXV cum commentariis subjectis, a Cartesii doctrina passim recedentibus, ob opiniones vero locutionesque Platonicas & Cabbalisticas, obscuris, difficilibus, & aliis tum Philosophis tum Theologis minime placituris.

PETRI MEGERLINI, J.U. & PHIL. D. Math. in Acad. Basil. P.P. Theatrum divini regiminis a mundo condito usque ad nostrum seculum delineatum in Tabella Mathematico-historica, cum Indice Chronologico-historico & Commentario Chronologico.

Basileæ. A. 1683, in 4.

QUod fieri optavit Lipsius in Cent. miscell. ep. 65, ut esset videlicet, qui breviter & compendio ab orbe condito velut fastos concinnaret, nec aliud quam annos ac præcipua rerum notaret ac libaret, id faciundum sibi existimavit Mathematum in Academia Basiliensi Professor clarissimus *Petrus Megerlinus*, J. U. & Ph. D. Itaque ad imitationem Geographorum universum terrarum orbem tabella unica repræsentantium, res ab orbe condito ad nostrum usque seculum in vasto hoc theatro gestas, tabella unica spectandas exhibuit, easque methodo nova, atque industria non vulgari collectas atque disposi-

tas. Neque enim vel annos Hainlini Sabbaticos, vel millenarios Helvici fuit secutus, sed revolutiones conjunctionum & oppositionum magnarum Saturni & Jovis ad trigonum igneum, quarum singulæ octingentos annos complectuntur: Quæ revolutiones cum septem sint, & tanquam septem mundi ætates, ævum omne a primordio mundi in initium usque hujus seculi exhauriant, septem etiam columnas in tabella sua repræsentavit, quarum I incipit a creatione & Adamo, II ab Enocho, III a Noacho & diluvio, IV a Mose & exitu ex Ægypto, V ab Esaia & captivitate Assyriaca, VI a Christo nato & Augusto, VII a Carolo M. & imperio Germanico. In columnis omnibus non nuda tantum referuntur nomina, sed cum nominibus etiam res gestæ, quantum quidem instituti ratio concessit. Cum vero omnia breviter atque concise, imo decurtatis hinc inde literis vocabulisque in Tabula exhibeantur, (neque enim ob angustiam spatii exprimi omnia potuerant) adjecit ei Autor *Indicem Historico-Chronologicum*, eumque ordine Alphabetico dispositum, qui & Locorum Communium historicorum præstare vices potest; in eo siquidem res & personæ fusius, addita Chronologia & Autoribus, imo & eorum libris, capitibus & sectionibus, unde petitæ illæ sunt, continentur. Adjecit præterea & *Commentarium brevem Chronologicum*, in quo rationem reddidit, cur non secundum millenarios & septenarios annorum, sed secundum Revolutiones Conjunctionum, & Oppositionum magnarum Saturni & Jovis ad Trigonum igneum, Tabulam suam concinnaverit. Item, cur Epocham mundi non perduxerit usque ad Epocham Nativitatis Christi, sed periodum Julianam adhibuerit, demonstrans quippe, illam incertam plane esse, atque characteres Chronologicos tam Scaligeri Astronomicos, quam Hainlini mysticos ex numeri septenarii progressione geometrica, quam etiam Biblicos *Christiani Ravii* ex commentis Rabbinicis desumtos, non esse indubitatos. Attextæ etiam huic commentario sunt animadversiones quædam Chronologicæ de antiquissimis regibus Assyriæ & Ægypti, nec non Gothorum: item de regibus Persarum, aliaque haut vulgaria, de principiis imprimis Chronologiæ & computo Ecclesiastico, ut & de Cyclis Planetarum & Eclipsium, quibus mediantibus vera ipsorū loca per XXIV secula ex Ephemeridibus seculi nostri facillime depromi possint. Agmen claudit Disquisitio Chronologica de Johanna

hanna Papissa, qua Blondelli examinatur Anacrisis, usùsque Chronologiæ in historicis ostenditur.

TRAITE DES FESTINS, PAR M. MURET, id est,

Tractatus de conviviis, a Mureto editus. Parisiis, 1682. in 12.

Conviviis communem hominum societatem foveri, iisque corpus non magis quam animum mortalium sustentari, auctor in epistola nuncupatoria affirmat. Modum tamen haud raro in iis parum servari observat, ita ut sæpe ciborum apparatus ubi nimius adest, festivitas & lepores desint; hæc condimenta ubi adsunt, ciborum tenuitas gratiam intervertat convivii, quod ciborum lautitia corpus, & colloquiorum amœnitate ac conversationis festivitate animos reficere oporteat. Hinc fieri vix potest, quin is, qui de conviviis scribit, de plurimis simul vitæ humanæ officiis tractet; & inde ethnicorum quondam philosophi gravissimi sapientissimique, Plutarchus, Xenophon, Aristoteles, Plato, aliique complures, Athenæo (qui egregios Δειπνοσοφιςῶν λόγȢς reliquit, ubi Larensis Romani convivium describens, doctissimos jucundosque sermones de omni doctrinæ genere habitos refert, occasione eorum sumta ut quidque fuit mensæ appositum) memorati: ac inter Christianos post Clementem Alexandrinum & antiquiores alios, doctissimi quique, Marsilius Ficinus, Pontanus, Platina, Cœlius Rhodiginus, Stephanus Figulus, Justus Lipsius, Gul. Stuckius, & alii, ubi de symposiacis agunt, aut qui de symposiis peculiares libros composuerunt, plurima humanæ vitæ utilia istis asperserunt.

Priorum tamen omnium de hoc argumento tractationem se ordinis accurata ratione in hoc libello servata supergressum esse gloriatur auctor, præstantiam conviviorum primum commendans, simulque excessus & defectus, qui circa eadem contingunt observans: varia eorum genera, natalitia, ablactationis, nuptialia, militaria, rustica, servilia, advenarum, fœderalia, confraternitatum, publica, sacra, coronationum (quo loco solennis illius convivii, quod Franco-furti,

furti sub electionem Romani Imperatoris institui solet, ritus enarrat) exequialia enumerans; qualitatem & numerum convivarum, tempusque & modum invitationis, magistrum & mod-imperatorem, leges, locum & adparatum designans; de exercitiis ante & balneis post cibi usum, vestibus, modo accubandi, corollis, variis ministeriis, usu calidæ, libatione, precibus, cantu musico & oblectationibus aliis disserens: sermonum autem convivialium prolixiorem recensionem instituens, & discursus de astrologia super convivio habitos, philosophorum item quorundam veterum & recentiorum vafre & argute sapienterque dicta memorans. Ultimum caput salutaribus monitis circa convivia vel instituenda vel adeunda implet, & quomodo se hospes & conviva gerere debeat, docet.

DEVISES DES PRINCES, CAVALIERS, dames, sçavans & autres personnages illustres de l'Europe: ou, la Philosophie des images, Tome second, par le P. C.F. Menestrier de la Compagnie de Jesus.

id est,

Symbola & emblemata principum, nobilium, fœminarum, eruditorum, & aliorum illustrium in Europa hominum; seu, Philosophiæ imaginum tomus secundus, auctore C. F. Menestrerio S. I.

Parisiis, 1683. in 8.

QUamvis rem symbolis & emblematibus præbere materiam, nec quidquam in hoc universo existere, quod non idoneum iis argumentum suppeditet, supra in Actis Jan. hujus anni p.17 fuit monitum; cum *primum* Philosophiæ imaginum tomum superiori anno editum enarraremus. Cujus assertionis alter hic tomus, qui hoc anno prodiit, egregia præbet documenta; a naturalibus & artificialibus rebus, elementis, igne, montibus ignivomis, tormentis pulverariis & aliis machinis bellicis, chymicis item instrumentis, subterraneis cuniculis, fumo, luminaribus, igne sacro, aere & variis avium generibus depromta symbola & apposita lemmata exhibens: interdum etiam historiam narrans, quæ docet quem auctorem unum vel alterum

rum emblema agnoscat, & quo tempore quave occasione istud primum adhibitum fuerit, & ad quod negotium porro applicari possit. Ingens autem superesse videtur, qui adhuc auctori suppetit, apparatus: quem ubi in publicum prodiderit non reticebimus.

AD EPHESINUM CONCILIUM VARIORUM Patrum epistolæ ex manuscripto Cassinensis Bibliothecæ codice desumtæ, item ex Vaticanæ Bibliothecæ manuscripto commonitorium Cœlestini, tituli decretorum Hilarii Papæ, Neapolitanum concilium, epistolæ Anacleti Anti-papæ, nunc primum in lucem data per F. Christianum Lupum, cum ejusdem scholiis & notis ad epistolas, acta concilii Ephesini & Chalcedonensis concernentes.

Lovanii, Anno 1682, in 4.

QUamvis acta concilii Ephesini, quæ & seorsim & in conciliorum tomis extant, admodum prolixa sint, multa tamen etiam postremis editionibus deesse cum aliis eruditis animadvertit *Johannes Garnerius*, qui Tom. II editorum a se *Marii Mercatoris* operum ad supplendam ejus concilii & contiguorum temporum historiam haud pauca contulit. Cujus exemplum imitatus Lupus, cum Romæ *Hieronymi Casanatæ* Cardinalis beneficio in codicem quendam Cassinensis Bibliothecæ manuscriptum incidisset, qui variorum Patrum epistolas, nec non Imperatorum & Comitum edicta, aliaq; Ephesini Concilii & proximorum temporum acta, partim hactenus inedita, partim ab editis discrepantia continebat, eundem diligenter exscribi, & Lovanium reversus una cum appendicibus quibusdam ex Vaticano quodam codice depromptis publicam in lucem protrahi curavit, tanto magis operæ se pretium facturum ratus, quod opus suum de privilegio S. Petri circa Romanas appellationes superiori mense a nobis recensitum ex Cassinensi hoc codice haud parum confirmari posse consideret. Continet enim (cap. 117) authenticum, ut Lupus vocat, appellationis instrumentum, quod Eutherius Thyanensis & Helladius Tarsensis Episcopus apud Pontificem Romanum Xystum tertium adversus Ephesinum concilium interposuerunt, & (c. 222) Eu-

tychetis Hæresiarchæ Leonem M. appellants epistolam, quo nomine acerrimus hic Romanarum appellationum Patronus non quod pueri in faba se reperisse ratus, & in dissert. 4 de privil. S. Petri p. 848 & 883, & in scholiis ad Cod. Cassin. p. 450, impense gloriatur. Reliqua epistolici hujus voluminis capita recensere nimia eorum copia prohibet, quæ major est, quam ut angustis unius alteriusve pagellæ spatiis circumscribi possit. Viderint autem eruditi, quantum huic codici Latine tantum prodeunti & ab aliis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis nonnunquam dissentienti tribui debeat, quem Lupus, cum ex Insomni apud Constantinopolin cœnobio translatus fuerit, irrefragabili autoritate pollere, & multa hactenus ignota prodere asserit, licet ejus compilatorem nec in digerendis epistolis accurati semper ordinis tenacem, nec ab omnibus plane mendis liberum agnoscat. Cæterum cum in eo illustrando ad ducentesimum usque epistolarum caput pervenisset, morte præventus integrum opus absolvere non potuit, cui e typis educendo *Fratres Augustiniani* obstetrices manus supposuerunt, qui ipsas quidem Patrum epistolas magno Hetruriæ Duci Cosmo III, scholia vero & notas a Lupo additas Principi de Parma Alexandro Farnesio dedicarunt. Præmissa est scholiis vita Lupi a Josepho Sabatino descripta. Ad finem autem subjectus est index rerum & verborum in utroque tomo contentorum, quem proxime præcedit epitaphium ab ipso Autore adhuc vivo sibi positum:

Hæres peccati, natura filius iræ
Hic jaceo, dignus nomine reque Lupus.
Indignus, non re, sed solo nomine, Doctor,
Verbis, non factis me docuisse fleo.
Perdocuisse alios, & non docuisse seipsum,
Quid juvat? O! Mundi fumus, inane, nihil!
Agne Deus, Patris doctrina, Redemtio mundi,
Nunc tibi prostratum commiserare reum.
Et Latro, & Meretrix gratis tua regna subintrant:
Gratia peccatis fiat & ista meis.

HISTO-

HISTOIRE DU CALENDRIER ROMAIN &c.

hoc est,

F. Blondelli, regii Mathematicæ & Architecturæ Professoris, regiorum exercituum Campimareschalli &c. Historia Calendarii Romani, ejus originem variasque vicissitudines complexa.

Paris. 1682, in 4.

OPere hoc tribus distincto partibus Clarissimus Autor (a quo propediem novam munitionum extruendarum rationem expectamus) præcipua Calendarii Romani fata, quæ a primordiis suis hucusque habuit, ita recenset, ut simul mathematici Doctoris partes tueatur, Lectoremque suum circa computi exacte ineundi rationes studiose erudiat.

Cum autem Calendarium politica temporis sit dispositio; ejus velut incunabula non incongrue præmittit: ut videlicet simplicissimam primo temporis partem, diem mortales, inde horas, menses, septimanas advertere aut distinguere sint adducti; ex quo fonte dierum per hebdomadem appellationes, Judæis & Christianis propriæ, quasque ex gentilismo reliquas hodie habemus, fluxerint; quæ porro ratio annorum, ad motus Luminaris unius aut utriusque constituendorum, Assyriis, Ægyptiis &c; Arabibus, Turcis &c; Græcis, Romanis, Judæis fuerit, succincte præfatus.

Ipsos dein Calendarii Romani sub Romulo natales, annique rationem, & quomodo, quibusque de causis id mox a Numa Pompilio, longe vero post, penitus confusis, Pontificum sive negligentia sive superstitione, anni rationibus, a Julio Cæsare Pontifice tunc Maximo, correctum aut mutatum sit, stricte exponit: singulorum Calendariorum Tabulas, inque Juliano literas nundinales; dies fastos, nefastos, & comitiales; nomina dierum; festa, ludos, sacrificia, signorum cœlestium ortus & occasus, cum brevi commentatiuncula exhibens.

Hoc Juliano Calendario, latissime tum dominantibus Romanis, quoad civilem temporis distributionem a plerisque gentibus recepto, has interim religionis & ceremoniarum libertatem usurpasse: inde & Judæos, citra Sabbati violationem, sacri Codicis legibus festa celebrasse; & Christianos singulis Judæorum solennibus alia, pleraque antitypica surrogasse: posteriores tamen ob celebrationem Paschatos mox inter se divisos, sub medium rursus seculi secundi autoritate Pii Pontificis in unum coaluisse, memorat.

Stabiliendo postea Paschati, decretum a Concilio Nicæno interpositum, quo & æquinoctio verno, & novilunio paschali, & quartædecimæ Lunæ termini perpetui sint constituti, Parte secunda refert: cujus causa deinceps cyclus solaris literarum septem dominicalium (in vicem octo nundinalium a nascente Ecclesia olim jam obstitutarum) inventus sit, & Lunaris, sive decennovalis Metonis, sub aurei numeri titulo, Calendario invectus. Dissidium vero inter orientales & occidentales Ecclesias, circa numeri hujus in Calendario dispositionem, obortum, & ultra grassaturum, ineunte seculo sexto a Dionysio Exiguo Abbate consopitum; occidentalibus orientalium mori concedentibus. Subjungit Autor pauca de Periodo Victoriana & Juliana, cycloque indictionum: argumentum de aureo numero ejusque per Calendarium dispositione & proprietatibus; mensibus plenis, cavis & embolimæis, horumque convenienti per cyclum decennovalem ordinatione; diebus mensium ab aureo numero vacuis, eorumque versibus memorialibus, adjecto Calendario ipso & Tabula Lunarum cycli 19 annorum, fusius prosecutus. Claudit hanc Partem Practica Calendaria, rationem Paschatos & Festorum mobilium, ope cycli Solaris & Lunaris, Tabulæque paschalis antiquæ, quoque anno figendorum, edocens.

Cum vero subsequentibus temporibus animadverteretur, hanc Calendarii formam cœlum parum propitium habere, nec ideo festa legitimo tempore amplius exhibere: quippe æquinoctiis, ob assumtam anni Solaris quantitatem justo majorem, & Noviluniis ob cycli Lunaris super 235 Lunationes aliquem excessum, præscriptos terminos magis magisque; illis quidem spatio 134, his 312½ annorum integro die antevertentibus: de remedio tollendis his erroribus adhibendo

bendo, pluries & a pluribus serio quidem agitatum fuisse, Parte tertia Autor commemorat; sed successu plane frustraneo. Gregorium demum XIII Pontificem Romanum, convocatis in hanc rem Astronomiæ consultis, arduum hoc negotium prospere aggressum, inductaque anno 1582 nova Calendarii forma, ab Aloysio Lilio Medico Romano excogitata, quæ Gregorianæ nomine hodie venit, ex voto perfecisse: sublatis non solum præmemoratis erroribus, sed &, ne iidem successu temporum denuo obrepere possent, accurata cautione interposita.

Nimirum, quantum ad errorem ex præcessione æquinoctiorum oriundum, expunctione decendii, (tanto enim intervallo æquinoctium verum diem 21 Martii, Niceno canone eidem dictum, tunc prævertebat) post 4 Octob. diem statim 15tũ numerando, æquinoctiũ pristinæ sedi restituisse; & ut communi anni civilis quantitate retenta, excessus ejus supra Solarem debite pensaretur, nec terminus æquinoctii inposterum vacillaret, singulos post 1600mũ annos seculares (quorum numerus per 400 non esset divisibilis) Bissextilibus exemtos communes esse voluisse; exsecto hac ratione singulis quatuor seculis triduo, quod ex 134 annis ter sumtis alias redundasset.

Novilunia, quæ integro quatriduo numerum aureum tum fallebant, sublato cyclo decennovali, pergit Autor, alio, triginta numero Epactarum, in locum ejus suffecto, in ordinem coegisse: harumque (ut & cycli imposterum solaris) ob intercalationis secularis deinceps omissionem, usum tantummodo temporarium futurum, æquationis certæ beneficio effecisse perpetuum.

Epactarum porro harum dispositionem in Calendario, usum, æquationes, aliaque quæ tum ad perfectam Calendarii Gregoriani cognitionem, tum ad praxin Calendariam hujus formæ faciunt, eleganti plurimarum Tabularum apparatu, postrema hac Parte prolixe Autor eruditeque explicat.

LEGATUS URANICUS EX ORBE NOVO in Veterem, hoc est, Observationes Americanæ Cometarum factæ, conscriptæ ac in Europam missæ, a R. P. Valentino Stansel, e Societate Jesu &c. Pragæ, A. 1683, in 4.

INsigne par Cometarum, quod sub decursum anni 1664, verisque anni 1665 initium late fulsit, & in Brasilia P. Valentini Stansel, e Professore mathematum Olomucensi & Pragensi tunc Missionarii in Indiis oculos in se convertit. Nec hoc solum, sed & cursus sui, & quæ cætera his ignibus æthereis accidunt, adeo solicitum habuit, ut observandis iis Bahiæ omnium Sanctorum vigilem sibi laborem sumserit, vigiliasque has suas Illustribus & Clarissimis Europæ Astronomis sacras ex orbe novo transmiserit. Has non observationum tantum seriem, sed ipsam etiam Autoris sententiam, de motu, materia, lumine, loco, cauda caudæque flexu, & magnitudine Cometarum, valido argumentorum nexu, nec indecora oratione complexas, & schematismis elegantibus instructas, Astrophilorum commodo Collegium Patrum Jesuitarum ad S. Clementem, vel ut titulus fert, Mathesis Pragensis ejusdem Collegii, cum Auctario observationum Europæarum circa priorem præcipue illorum Cometarum, Romæ, Venetiis, Florentiæ, Gedani, Parisiis, Viennæ, Madriti, Ingolstadii, Pragæ, Wratislaviæ, Znoymi, Olomucii a celeberrimis Astronomis habitarum, aliarumque, Cometarum anni 1680 & 1682, publico dedit.

JOHANNIS HEVELII Observationes Circa nonnullas Occultationes Fixarum GEDANI Anno 1683 habitæ.

CUm Astronomiæ Cultoribus nuper promiserim, me iis quoque velle (ut circa ternas illas Conjunctiones Magnas factum est) brevi.

breviter exponere, quæ circa quarundam Stellarum Occultationes, atque nonnullos Lunæ Congressus, mihi ab 11 Febr. hucusque deprehendere obtigit, facio id nunc animo lubentissimo, nihil potius exoptans, quam ut meæ observatiunculæ in commodum Uraniæ quodammodo cedant.

1. Die 11 Febr. *Anni hujus currentis 1683* vesperi sperabam non solum partem Ecclipseos Lunaris (prout Tabulæ spem faciebant) circa Lunæ exortum & occasum Solis, sed & simul Occultationem Reguli me observaturum. Quare omne tempus pomeridianum in Specula impendi; verum frustra: siquidem Cœlum totum ad horam usque nonam vesp. nubibus obscurissimis ita erat obductum, ut nihil quicquam, ne quidem unicam stellulam, conspicere licuerit. Post nonam vero Luna emersit, sed prorsus ab omni umbra libera; sic ut nihil penitus de illa Eclipsi deprehensum fuerit. Occultationem Reguli quod attinet, quæ pariter hac die celebrari debebat; sciendum, quod hora 9 cum Luna in oculos incurreret, Conjunctio dicta, jam fuerit præterita. Siquidem Regulus jam satis longe occasum versus a Luna removebatur; ita ut ea ipsa Conjunctio (quantum ruditer colligere dabatur) oriente circiter Luna, hora sc. 5 vel 6 contigerit: utrum autem Regulus omnino tectus sit, an vero tantummodo transitus fuerit, haud adeo accurate deprehendere licuit. Si cœlum occidente Sole omnino annuisset, præclarissimum extitisset spectaculum, hanc Conjunctionem, una cum particula Eclipseos debite & accurate annotare.

2. Die 2 Aprilis vesperi proposueram Planetas tantummodo observare; sed cum vidissem tres stellulas minutissimas haud procul a Lunæ limbo obscuriori ortum versus existere, quas Luna juvenis, in minima libratione ad paludem mæotidem degens, sine omni dubio tectura esset, accinxi me protinus ad observationem jucundissimi hujus spectaculi, & quidem Telescopio egregio. Negotium etiam hocce ex voto successit, sic ut binas stellulas A & B distinctissime viderim a Lunæ limbo, licet obscuriori, occultari. Tertia vero stellula C non tecta est, sed in ipsa Conjunctione distabat a Lunæ cornu inferiori Austrum versus 4 circiter minutis; sicuti ex apposito Schemate videre est. Sectio Luminis & umbræ hac die per Montes Serrorum & Carpathos, per Sinum Peronticum, inter Byzantium & Ins. Cyaneam, per M. Amanum, Taurum Uxiique Montes incidit.

Prior



Prior Stellula A in Catalogo Tychonico non invenitur; sed in meo novo habetur: vocatur sub cornu Tauri Austrino sequens quintæ magnit. Versatur hoc tempore in 19° 1′ 35″ ♊, & in latit. 4° 43′ 44″ Austrina; altera vero B, quantum ex hac observatione colligere potui, existit in 19° 17′ 0″ ♊, in latitut. 4° 47′ 0″ Austrina: at tertia C, quæ forte nudis oculis non conspicitur, degit modo in 19° 9′ 0″ ♊, & in latitud. 5° 2′ 0″ Austrina.

Cæterum, stella A, Lunam subingressa est ad Montem Audum, transiit

transiit per Insulam Cercinnam, per M. Neptunum, Mare Adriaticum, inter M. Horminium, & M. Amanum, per M. Herculis; sic ut inter Paludem Mæotidem & Ins. Majorem Caspii rursus emerserit: unde liquidum est, hanc stellulam A fere centralem cum Luna celebrasse Conjunctionem. Quam diu autem sub Luna hæserit, ipsa subsequens observatio ostendit: nam admodum exacte illam rursus prodire animadverti.

Altera vero stella B, sextæ magnit. Lunam ingressa est ad Paludem Mareotidem, transiit per Sinum Syrticum, ad M. Athos, per M. Latmum, inter Montes Sipylum & Masicytum, infra centrum Lunæ, per superiorem M. Moschum, per Fretum Ponticum, atque sic infra Insulam Majorem Caspii; prodire autem illam non conspexi, ob Lunæ decliviorem situm, vaporesque ei adhærentes.

Mens. dies st. n.	Temp. sec. hor. ambul. H ' ''	Anno 1683 Occultatio Duarum Stellularum cum alterius transitu.	Distant. & Altitud. o ' ''	Quo Instrum.
April. 2. die ♀ vesp.	9 53 30	Initium Occultationis stellulæ majoris A, 5 m.		Tubo egregio.
	10 8 30	Conjunctio Lunæ & Stellulæ C: distabat a Lunæ cornu inferiori.	0 4 0	Tubo.
	10 29 36	Initium Occultationis Stellulæ B, 6. magn.		Tubo.
	10 52 50	Finis Occultationis Stellulæ A 5. magn.		Tubo.
	11 45 30	Altitudo Lyræ.	31 44 0	Quadr.
	11 46 30	Eadem Altitudo.	31 55 0	orich.
	11 47 50	Denuo.	32 6 0	
		Pro corrigendo tempore		

3. Die 2 Maji vesp. hora 11 0′ 0″ Luna supra Stellulam in radice Caudæ Cancri transibat, quæ modo versatur in 27° 53′ 37″ ♋ & in Latit. 2° 18′ 42″ Austr.; sic ut in ipsa Conjunctione non nisi ad 12′ a Lunæ cornu infer. abesset.

Hora 12 0′ 0″, eadem die, etiam alia Fixa, sed minutissima tecta est, quæ in Catalogo alias non habetur. Quantum conjicere dabatur, hærebat in 28° 30′ ♋, & in Latit. 1° 54′ Austr.

4. Die 3 Maji, hora 9 12′ Mars Conjunctionem celebrabat cum penultima stella alæ Austrinæ Virginis, quæ modo degit in 13° 49′ 14″ ♎ & Latit. 1° 48′ 33″ Bor., sic ut in ipsa Conjunctione vix ultra 40′ Mars infra dictam stellam incederet.

5. Die 4 Maji, vesperi Cœlo perquam sudo Luna decrescens plus quam bisecta Regulum occultavit, quam egregiam Occultationem animitus exoptassem ut more meo observare potuissem; sed ob rationes maxime prægnantes atque indispositionem corporis id pro voto fieri haud potuit. Nihilominus tamen ipsum momentum immersionis accuratissime notavi, id quod incidit hor. 11 17′ 20″ vesp. secundum horolog. ambulatorium ex subsequente altitudine Lyræ corrigendum; sed emersionem, ob rationes dictas, minime deprehendere mihi licuit. Linea itineraria incessit per mare Pamphilium, infra Insulam Carpathos, Insf. Cyprum, infra Sinum extremum Ponti, & Sinum inferiorem Maris Caspii. Hora 11 24′ 42″ secundum horologium ambul. altitudo Lucidæ Lyræ observata est 44° 39′ 0″; ex qua initium Occultationis corrigi potest. Sectio luminis & umbræ per Lacum nigrum majorem ad Insf. Corsicam, M. Myconium, per Lacum Strymonicum ad insf. Rhodum, per M. Sinai & M. Techisandam incidit.

6. Die 31 Maji, vesp. hora 11 45′ 0″, Regulus rursus a Luna tegi potuisset, ut mihi tum videbatur; sed citius occiderunt, quam id fieri potuit. Distantia namque Lunæ a Regulo erat fere adhuc tanta, quanta alias est Stellæ in Coxa a Tergo Ursæ Majoris, fere 4° 30′.

DIATRIBA DE FEBRIBUS, IN QUA AUTOR complures Medicorum, Antiquorum juxta ac Recentiorum, detegit errores, cum ratione earundem Theoriæ, tum Praxeos, Belgice conscripta a D. Cornelio Bontekoë, ac Latinitate donata a Jano Gehema.

Hagæ Comitis 1683, in 8.

MEdici atque Scriptores famigeratissimi opusculum hoc est, illius scilicet, qui sub idiomate Batavo diversos hactenus libros, *de Herba Thee, Coffe ac Chocolata; Novam Chirurgiæ Structuram &c.* publi-

publico mancipavit. Ante aliquot quoque jamdum annos Diatriba hæc eodem ab Autore vernaculo idiomate typis exscripta fuit, ita quidem, ut editionis quartæ præsens versio existat, ipso originali in diversis locis paulo magis succincta. Scilicet sicut in reliquis suis scriptis Bontekoë scholarum æque medicarum ac praxeos errores castigare contendit, sic febrium quoque doctrinam hisque medendi methodum vulgarem examinat, utramque vero plurimas quoad circumstantias insulsam, ineptam, imo mortiferam pronunciat; Veterum æque ac nonnullorum Neotericorum, v.g. Willisii, Sylvii &c. Febris definitiones, differentias, & causas impugnans, ac curandi rationem (si Sylvii, quam præ aliis commendat, excipias) hactenus usitatam, & falsæ theoriæ innitentem, summopere detestans. Occasione hac, & dum febris essentiam non in calore præternaturali consistere probat, in Causo v.g. calorem naturali longe minorem paradoxe satis asserit: Willisii hypothesin ubi examinat, fermentationem vulgarem, & qualis vino aut cerevisiæ solennis, in humoribus nostris concipi haud posse ait. Pariter, quasi in parenthesi, Sylvii hypothesin de natura & causa pestis, imo quoad posteriorem omnes Scriptores impugnat. Experientiam, quam vulgus practicorum prætendere quoque contra novatores eaque se munire solent, egregrie dispellit; Refrigerantia & venæ sectionem ac purgationem damnat; Chinæ Chinæ usum contra eosdem vindicat; Hisque demum Epistolam provocatoriam ad Chymiæ osores subnectit.

FRAGMENTA, DIENENDE TOT EEN ONdervvys van de Bevveginge en Vyandscap, of liever Vrindschap van het Acidum met het Alcali, &c.

id est,

Fragmenta, Motum & Hostilitatem, seu potius Amicitiam Acidi & Alcali, simulqve Phlegmatis, Spiritus Olei, Sulphuris, Terræ ac Capitis mortui naturam, declarantia. Item Fundamentum Medicinæ & Chirurgiæ, Autore Cornelio Bontekoë, M.D.

Hagæ Com. 1683, in 8.

 Quem

QUem in gratiam Chirurgorum saltem publici juris factum libellum præfatio hujus edisserit, illum nec Medicinæ Tyronibus inutilem judicamus, quatenus præter fundamenta chymica, totius fere Medicinæ practicæ theoremata generalia suggerit. In capite siquidem primo hujusque Appendice, duo genera salium, ut principia rerum activa, *Alcali & Acidum*, asserit Autor, horumque naturam, differentiam & habitudines, quas in se invicem, & in alia concreta, effervescendo, præcipitando ac fermentando, exercent, exponit, *Dn. Lemery Cursum Chymicum* hujusque manuductionem in his sequendo. Oleum seu sulphur e principiorum naturalium numero delet, quod ex acido & alcali componatur: quamvis simul fateatur, peculiarem adhuc oleo texturam subesse, quæ nos fugiat. Pariter spiritum nihil peculiare ab alcali, acido, oleo & aqua habere, adeoque simplicioris corporis nomen nullo jure mereri, ostendit: ac tandem salibus illis binis, Aquam, Pingue, & Terram seu Caput Mortuum, ut principia rerum adæquata, addit.

In secundo capite Operationes chymicas sub triplici, Mundationis, Comminutionis, & Compositionis classe, exponit. In tertio vero Præparata recenset, horumque selectum commendat, salis tartari volatilis & salis volatilis oleosi Sylviani famæ non parum subtrahendo.

In capite quarto simplicium, e tribus Regnis petitorum, medicaminum catalogum exhibet, de horum virtutibus horumque ætiologiis simul disserendo, ac illorum farraginem damnando. Ita v. g. gemmas, præprimis calcinatas, e pharmacopoliis proscribit, crystallum tantum montanum, utpote reliquarum gemmarum materiam, & post hunc lapidem nephriticum ac smaragdum martialem commendat; margaritis, si corallia præsto fuerint, Practicum carere posse ait. Ex lapidibus minus pretiosis, paucis saltem, scilicet calcario, calaminari, hæmatite, pumice & spongia, hunc opus habere putat: quibus tamen talcum adhuc addit, utpote sulphure quodam solari scatens. Inter Metalla ferro potissimas; pauciores plumbo, cupro & stanno; nullas argento ac auro, concedit virtutes: hujus Tincturis ac panacæis cinabarim & sulphur antimonii rite præparatum longe anteponens. Mercurii commoda atque incommoda explicat, eumque ad libras duas, imo tres, interne absque ullo periculo propinari posse, docet:

im-

inprimis vero ejus vim salivatoriam, quam acidis combinatus exerit, ab ejus corrosivitate & glandulas oris exulcerandi ratione derivat. Spiritum sulphuris satis paradoxe venenum potius, quam medicamentum pronunciat; Sperma Ceti vero e mineralium serie relegat, haud tamen semen balenæ, sed cerebrum cujusdam piscis, Microcephalos dicti pro materia agnoscere asserit, quod exsiccatum cum lixivio calcis vivæ, certa ratione in pinguedinem saponi similem redigatur.

In *Fundamento Medicinæ* Autor primo quasdam de natura corporis propositiones physicas exponit; deinde morborum naturam & differentias generales æque ac speciales, item symptomata recenset, adeoque pathologum agit. Sequitur hæc methodus medendi, cujus occasione temperantium seu alterantium, sudoriferorum, diureticorum, catharcticorum, emeticorum atque anodynorum, tanquam sex remediorum internorum capitum, ætiologiam & applicandi modum tradit.

EXCERPTUM EX LIBELLO GALLICO, Mercure galant, *part. 2 Octobr. 1682*, de insignibus Ducis Burgundiæ.

Cum Delphini filio, nepoti suo, Burgundiæ Ducis titulum Rex Christianissimus suo usus arbitratu tribuisset, de insignibus illi assignandis non eadem omnium fuit opinio. Consultus ergo ea de re Dn. Dosierus, judex armorum, sententiam suam scripto exposuit, quod Mercurio Gallico, quem politum vocant, loco supra dicto pag. 333 seqq. insertum legitur. Non ingratum vero futurum Artis Heraldicæ cultoribus putavimus, si Dosieri illud judicium Latine versum hic exhiberemus, inprimis cum probatum illud publica auctoritate fuisse, Auctor Mercurii testetur. Ita vero ille:

Non alia, qvam Franciæ insignia pura, concedenda esse Duci Burgundiæ, persuasum omnino habeo. Cum enim Princeps hic patrem habeat Delphinum, cujus nomen & insignia soli primogenito Regis Franciæ filio vindicantur, nec communicantur illius liberis: alia quam Regni suo ad eum tempore hæreditario jure devolvendi insignia usurpanda ipsi non videntur, quamdiu in expectatione successionis, seu in titulum patris sui, seu in Regnum ipsum, hæreditario ad eum jure spectans, futurus

 est.

est. Cumque Burgundiæ Ducis titulus nudum in hoc Principe distinctivum nomen sit, apanagium provinciæ illius annexum non habens; inconveniens utique foret, in scuto Principis hujus, insignibus Franciæ insignia Domus cujusdam, cujus caput esse non posset, nisi tanquam postgenitus e Regia Familia, adjungi. Convenire id potius in fratrem quendam Principis nostri aliquando posset, si Burgundiam is apanagii jure possideret. Hic enim, novam Regiæ Domus lineam auspicaturus, uti etiam insignibus posset, quibus a regnante Domus Regiæ linea discerneretur. Regeri equidem hic posset, Duci Burgundiæ ob titulum hunc, scutum Regni Franciæ & Ducatus Burgundiæ insignibus quadripartitum convenire, non minus ac Delphinus Franciæ & Delphinatus insignia quadripartitur. Par enim videtur causa, patrisque exemplum filio præbere videtur regulam. Verum enim vero, sicut nemo nescius est, Delphinum nomen hoc & insignia non alio instituto gerere, quam ut stet conditione, sub qua Delphinatus Franciæ olim Regno coaluit: ita constat, aliam omnino rationem esse tituli Ducis Burgundiæ. Ea enim provincia nunquam pro Principibus, nudam a se denominationem habituris, quicquam stipulata est: ipseque titulus, proprie loquendo, nonnisi aliunde pro Principe mutuo sumptus est, donec ad Regnum pervenerit, jure natalium ipsi debitum.

Quapropter cum successio alia Principi huic non pateat, quam in Delphini titulum, suo tempore gerendum: mea quidem hæc constans est sententia, quocunque nomine Princeps hic salutetur, non alia quam Regni insignia tribuenda illi esse, nec his Burgundiæ arma jungenda; quippe quæ ascitum segmentum (brisure) *forent, quale in Principem non quadrat, augustiori multo, quam Burgundiæ Ducis, titulo aliquando gavisurum.*

INSTITUTIONES JURIS PUBLICI Germanici Romani, ex ipsis recessibus & legibus ejus Reipublicæ fundamentalibus adornatæ.

Francofurti ad Viadrum, 1683. in 8.

VAria sub variis titulis prostant Juris systemata ac institutiones, in quibus uti multi, pro ingeniorum diversitate, multa commendarunt

runt aut censoria notarunt virgula, ita præprimis in aliis methodus minus justa accusata fuit, in plerisque illud desideratum est, juventutem studiosam magis ad rivos quam ad fontes duci, hoc est, in decisione controversiarum præprimis, magnas Publicistarum, uti communiter appellantur, *cohortes citari*, *raro* leges ipsas fundamentales, quæ tamen hic utramque facere deberent paginam. Quod haud dubie trutinans Autor præsentium institutionum Magnificus, in Auditorum suorum gratiam, quo utrique huic nævo mederetur, easdem ita formavit, ut non solum, sicubi ex historiarum monumentis res fuerit deducenda, ad paucos, sed optimos scriptores; sin ex ipso jure assertio firmanda fuerit, ad Auream Bullam, Recessus Imperii, Capitulationem Imperatoriam, Instrumenta pacis, ac alia monumenta publica & Imperii Romano-Germanici bases, eos remiserit; sed & prudentissimo consilio, methodo usus fuerit ordini Justinianearum Institutionum simillima. Quo pacto id effecit, ut juvenis discendi cupidus, non solum ulterioribus absque ambagibus ad ipsum Jurisprudentiæ publicæ centrum brevi compendio ducatur, sed &, ut non per diversam a Juris privati institutionibus methodum scientia ejus turbetur, ac suo quasi loco quodammodo moveatur. Quinimo methodi occasione simul illud evenit, ut materiæ scitu necessariæ ab aliis in institutionibus juris publici vix memoratæ, aut levi saltem penicillo & obiter quasi adumbratæ, ab aliis vero plane omissæ, fusius tractarentur atque enucleatius. Postquam enim libro I intuitu juris personarum de personis Imperii, puta Rege Romanorum, Imperatore, Rege Germanorum, Vicariis Imperii, Electoribus & reliquis Imperii Statibus egisset, de patria quoque potestate, connubiis Principum & Statuum Germaniæ, juribus item fœminarum illustrium, ac de tutelis denique & juribus illustrium liberorum, ductu juris publici tractationem instituit. Deinde libro II non solum de juribus rerum, Statibus & immediatis Imperii Germanici competentibus, quæ communiter regalium nomine appellantur, accuratissime disserit, sed & ad discursum de rebus corporalibus & incorporalibus progressus, servitutes, ac acquirendi dominii modos, ejusdemque instrumenta & effectus, tum successionem testamentariam; in libro III vero successionem ab intestato & obligationum materiam plene proponit, & secundum usum juris publici evolvit. Denique libro IV ordinem processus in Imperio Romano publice recepti distin-

distincte adducit, eique tractatum de judiciis, intuitu criminum vel delictorum publicorum, subjungens coronidem elementis hisce imponit; quibus adeo quod ulterius addamus nihil superest, nisi ut Magnifico Autori hactenus summis Ordinis sui in Academia famigeratissima honoribus maxima cum laude defuncto, nunc vero ad intima Serenissimi sui Principis consilia admisso, digna ac jam diu promerita edecumatarum virtutum suarum præmia animitus apprecemur.

EMAN. KöNIG. PHILOS. ET MEDIC. Basil. Regnum Animale, Sectionibus 3 Physice, Medice, Anatomice, Harmonice, Mechanice, Theoretice, Practice evisceratum, enumeratum, & emedullatum &c.

Coloniæ Munatianæ, apud Eman. König & Filios Bibliopol. 1682. in 4.

SAne hoc ipso ævo, quod abstrusorum inventione, & solertibus non minus ac judiciosis rerum naturalium scrutatoribus splendet, mirari contingit, ejusmodi adhuc hominum genus reperiri, quod dogmata superiorum seculorum adeo colit, & unius vel alterius Medici aut Physici pronunciata, tanquam Idola in Fano Æsculapii erecta, tanta superstitione adorat, ut Neotericorum Inventa ac cogitata, nec evolvere, nec legere, multo minus pensitare velint, sed, quo suam vel cœcitatem, vel torporem, vel desidiam incrustent, Novatorum titulo mox hos contemnant, & quasi aliquid virulenti eorum scripta spirent, cuncta sua sensoria contra hæc muniant & obturent. *Ingenua* magis illorum videtur sagacitas, qui, quantum lucis quotidianum experimentorum scrutinium Veterum monumentis fœneretur, quamque scientiam Naturalem pariter ac Medendi Artem expoliat, ut utraque nunc splendidiore, quam olim, nitore fulgeat, observantes, multum equidem Antecessores nostros egisse cum Seneca profitentur, non tamen omne peregisse, sed multum adhuc Posteritatis investigationi reliquisse, concedunt: potissimum cum ipse *Hippocrates*, *in Epist. ad Demo-*

critum scripserit, Ego ad Medicinæ finem nondum perveni, etiamsi jam senex sim. Commendamus hoc nomine præsentem Autorem, per hujus seculi inventa superiorum asserta illustrantem, ac per dissertationem Physico-Medicam modo nuncupatam singularem in rebus Anatomicis & Medicis eruditionem nobis probantem. Complectitur hæc tres Sectiones, quarum *prior* corporis animalium internam fabricam & animæ sensitivæ operationes, cum animæ rationalis formalitate explicat; *altera* animalium quinque summa genera & sub his diversas species recenset; *tertia* tandem de animalium usu alimentoso & medicamentoso, item noxis animalium venenatorum harumque medelis agit. Totum hocce scriptum materiebus infinitis scatet, ita ut determinare nequeamus, num plus verborum, an rerum ipsi insit: cum, ut posteriores Sectiones mittamus, prior prolixissimam atque accuratissimam Physiologiam, Medicam æque ac Philosophicam, sistat, ex optimorum Scriptorum inventis ac meditationibus congestam, propriaque sedulitate atque epicrisi exornatam, ut in hunc usque diem nullam ipsi similem, multo minus hac perfectiorem, aut magis consummatam, Publico videre contigerit.

Chymischer Glückshafen oder grosse Chymische Concordantz und Collection von 1500 Chymischen Processen 2c. Zusammen getragen von Joh. Joachim Bechern/ von Speyer/ Med. D. und Röm. Käyserl. Majestät Cammer- und Commercien-Rath etc.

hoc est,

Urna sortis fortuitæ Chymica, seu Concordantia Chymica & Collectio major 1500 Processuum Chymicorum, congesta a Joh. Joach. Bechero, Spirensi &c.

Francofurti, Impensis Joh. Georgii Schiele/ 1682, in 4.

Qualem sortem ex Urna hac Tibi L.B. promittere possis, vel solius hujus Autoris, per Experientiam Chymicam & varia atque erudita ab eodem hactenus edita Scripta, sc. *Oedipum Chymicum, Metallurgiam, Physicam subterraneam* & hujus *Supplementa, Psychologiam, Mineram Arenariam* &c. famigeratissimi nomen docet. Multa in hac

invenies chymica, plura alchymiſtica, pauca medica & mechanica, ex manuſcriptis ac Laboratoriis celebrioribus collecta, ac propriis meditationibus ornata, Theorias partim, partim Encheiriſes ſingulares exprimentia, & in partes 20, diverſæ molis, cum Appendice, quam *Roſetum Chymicum* vocat, digeſta. Earum *prior* diverſa Philoſophorum Scripta atque Theorias, & inter hæc ipſius *Becheri* judicium Philoſophicum de Tinctura Philoſophica in via ſicca, ac ejusdem Commentarium in *Monte-Snyders*, aut viam Tincturæ humidam complectitur: reliquæ vero varia experimenta & modos, metalla exaltandi, maturandi, transmutandi, a ſcoriis ſuis liberandi, cum diverſis encheiriſibus Chymicis; & harum vigeſima, miſcellanea Medica atque Mechanica non unius generis, v. g. de margaritarum dealbatione, ex minoribus majorum productione, adamantum flaveſcentium depuratione, Speculorum Metallicorum fuſione, Plantarum regeneratione &c. ſuggerunt.

THESAURUS LINGUARUM ORIENTALIUM, continens Lexicon Turcico-Arabico-Perſicum, non ſolum vocum tam ſimplicium quam conjunctarum copia maxima refertum, ſed etiam innumeris phraſibus locupletatum, & Grammaticam Turcicam cum adjectis ad ſingula ejus capita præceptis Grammaticis Arabicæ & Perſicæ linguæ: opera, typis, & ſumtibus Franciſci a Meſgnien Meninski.

Viennæ Auſtriæ, A. 1680. in fol.

PRæſentia tempora, quibus Turcici exercitus Viennam Auſtriæ infeſtant, lexici hujus Turcici paucis abhinc annis in eadem urbe evulgati memoriam nobis ſuggerunt. Autor operis laborioſi hujus & mole pariter ac ſumtibus magni eſt Franciſcus a Meſgnien Meninski SS. Sep. Eques Hieroſolymitanus, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius ac linguarum Orientalium Interpres primarius, qui cum ex plurimorum librorum lectione & continuo annorum ultra quam viginti exercitio magnam linguæ Turcicæ, nec non Arabicæ & Perſicæ, quibus Turcica exornari ſolet, ſupellectilem ſibi comparaſſet, alios etiam earundem literarum notitia, ob Turcici imperii amplitudinem in præcipuis Regum ac Monarcharum aulis neceſſaria, imbuere animum induxit.

Quam-

Quamvis enim ipsum haud fugeret, extare Lexicum Italico-Turcicum *Bernardi a Parisiis* Capucini, & Arabico- & Persico-Latina *Raphelengi, Giggæi, Golii,& Castelli*, nec non Grammaticas linguæ Arabicæ, Persicæ, & Turcicæ, a *Martellotto, Metoscita, Erpenio, Guadagnolo, Wasmutho, Ludovico de Dieu, Maggio, Ryerio, Seamano* & aliis editas; noverat tamen, libros istos non ubivis reperiri, & ab iis, qui Turcicas literas tractandas susceperunt, multa ad syntaxin ejus linguæ pertinentia prætermissa deprehendit. Quamobrem ut pleniorem istarum linguarum thesaurum aperiret, omnibus immensi laboris, maximarum impensarum aliarumque difficultatum obstaculis insuper habitis, Johannem Lobingerum civem Noribergensem chalcographiæ peritissimum ad lares suos invitavit, ejusque opera characteres Arabico-Turcicos cum aliis typis ad hoc opus necessariis incidi, ac postea typographia integra jam satis instructa Lexicon hoc cum adjuncta Grammatica imprimi curavit. Ac in onomastico quidem, juxta notissimam Alphabeti seriem disposito, voces & phrases Turcicas, Arabicas, & Persicas, characteribus etiam Latinis secundum pronunciationem Turcis assuetam expressas, primum per alia earundem linguarum synonyma, deinde vero Latine, Germanice, Italice, Gallice & Polonice explicat. Nonnullas tamen voces & phrases, in communi loquendi usu minus vulgares, Latine & Italice tantum, eas vero, quæ non nisi in libris profundioris doctrinæ occurrunt, Latine tantum interpretatur. Interserta nonnunquam etiam invenias vocabula ex Tatarica lingua deprompta, de qua etiam in Grammaticis institutionibus nonnulla afferuntur. Onomasticum enim hoc, quod cum appendice seu auctario subjuncto ultra sexies mille paginas extenditur, excipit Grammatica Turcico-Arabica & Persica in septem partes distributa, in qua orthographia, etymologia, syntaxis, & prosodia istarum linguarum perspicue traditur & exemplis illustratur. Reliqua ad splendidi hujus operis methodum ac usum spectantia Autor in procemio fusius exponit, ubi notas quoque, quibus Turcicas voces ab Arabicis & Persicis distinxit, aliosque characteres, quibus passim usus est, declarat, & Autores Turcicos, Arabicos, Persicos aliarumque gentium editos & manuscriptos indicat, e quibus hunc thesaurum linguarum orientalium collegit.

PREUVES & PREJUGEZ POUR LA RELIgion Chrestienne & Catholique, contre les fausses religions & l'Atheisme, Par M. F. Dyrois, Docteur en Theologie de la Faculté de Paris.

sive

Probationes & præjudicia pro Religione Christiana & Catholica, contra falsas religiones & Atheismum, M. F. Dyrois, Doctoris Theologi in Facultate Parisiensi.

Parisiis, 1683. in 4.

Pias mentes non facile alius dolor gravius afficit, quam cum divinam veritatem & gratiam aut proterve rejici, aut simulata professione jactari vident, factis sive moribus negatam & elisam. Ita David stultitiam impiorum & hypocrisin eorum, qui religionem profitentur, acerbis querelis toto fere Psalmorum libro persequitur. Ita ipsum Christum ex vaticinio Davidis Ps. 68, 10, *comedit zelus domus domini*. Joh. 2, 18. Prædixit tamen idem, & confirmarunt Apostoli ejus, utrumque malum, atheismi nempe & simulatæ religionis, indies majora incrementa sumturum esse, & circa finem mundi vix vestigia veræ fidei superfutura: quæ cum impleri deprehendant temporibus nostris, fideles & pii, spem quidem de Ecclesiæ externa felicitate in mundi hac fece abjiciunt, solatium tamen capiunt, sperantes, nõ minus comprobatum iri eventu, quæ de conservatione piorum, utut numero paucorum & sorte miserabilium, Servator promisit. Pugnant interea, ejus auxilio freti, tum adversus animi sui trepidationes, tum adversus insultus impiorum; & causam Dei, pro viribus divinitus concessis, ore, scripto, morum sanctitate, inter tot corruptelas servata, defendunt. Inter eos vero, qui contra calumnias & sophismata atheorum & heterodoxorum calamum strinxerunt, non sine eruditionis, eloquentiæ & zeli laude comparet Autor hic, Theologus Parisiensis. Audiamus eum de instituto suo, in Præfatione operis, pie & docte scribentem. Præmittit encomium religionis Christianæ, qua nihil toto orbe attentione nostra dignius esse, merito statuit. Hæc enim, ait, docet omnia, quæcunq; homines ratione præditi, cognoscere cupiunt, ad cursum præsentis vitæ recte tenendum, & melioris atq; æternæ post mortem possessionem adquirendam. Ostendit hæc, quis sit Autor omnium rerum, quo fine hæ productæ sint, quis sit earum licitus usus: quid sentiendum de Ente supremo, omnium aliorum causa effectrice: quid sit summum bonum, quibus mediis ad id perveniatur: quæ sint

mala, quale contra ea remedium. Tantos vero & tam certos esse tradit doctrinæ hujus characteres, ex quibus divinitas & veritas ejus agnosci possit, ut neminem latere, aut fallere queant, qui debitam attentionem adhibeat. Ideas sive conceptus ejus superare omnes & speciosissimas Philosophorum speculationes. Argumenta pro ejus veritate ex intuitu creaturarum, & ratiocinatione subtiliori, non pauca quidem oriri, sed longe evidentiora esse, quæ ipsa historia religionis propagatæ, Prophetiarum antiquissimarum eventus, & effectus doctrinæ probe considerati, suppeditent. Infert inde, excellentiam & veritatem religionis Christianæ demonstrari luculentius & firmius non posse, quam si simpliciter referatur & consideretur, quomodo in orbe stabilita sit, quid eam præcesserit, quid sit consecutum; tum quomodo conservata fuerit. Intuitu hujus ordinis & horum eventuum, orbem terrarum persuasum fuisse de veritate prædicationis de Deo & de officio hominis, cum aliis viis per paucorum philosophantium subtilitates parum effectum fuerit, nec superatæ dubitationes & difficultates. Quoniam vero multi ea vel præsumtione tumeant, vel præjudiciis ex sua imaginatione aut assuetudine a teneris, quæsitis occupentur, ut nihil credere velint, quam quod ratiocinatione assequantur; visum sibi esse, scribit Autor, a primis cujuscunque religionis elementis, quæ sola ratione comprehendi possunt, initium facere, & stabilitis veritatibus, quæ sensus communis inficiari non potest, ostensum ire, necessario recipiendas etiam esse reliquas, quæ a Christiana religione proponuntur, utut incredibiles appareant. Putat autem Deum ipsum hac via progressum esse. Ex principiis enim illis generalioribus, quæ Philosophi, & quæ ipsa doctrina Moysaica proposuerit, inductos esse homines, ut respicerent ad rerum visibilium conditorem, ejusque perfectionem, & in gubernando mundo sapientiam: ad præstantiam humanæ naturæ: ad officia hominum erga Deum & inter se: ad usum creaturarum decentem: ad studium & acquisitionem summi boni: Tum ad expendendum, quid variæ Theologorũ & Philosophorum opiniones doceant & inferant, istis principiis vel conforme, vel adversans. Quo igitur tempore Christi doctrina prædicari cœpit, gentes, quibus ea primũ annunciata est, jam assuetas fuisse ait, ad disserendum de veritate opinionum circa religionem & cultum divinum, ideoque facilius intellexisse, quæ disquirenda & credenda proponebantur. Quemadmodum enim prius homines sumus, quam Christiani: ita usu rationis opus esse, ut cognoscamus, præferri Christianismum debere omnibus aliis religionibus. Tanto igitur expeditius esse hu-

jus veritatem & dignitatem agnoſcere, quanto magis præparatæ ſint mentes ad materias, quas tractat.

His ita præmonitis & conſideratis Autor Libr. I enarrat, quæ ex lumine rationis de primariis religionis cujuscunque articulis proponi poſſint. v. g. de conſenſu gentium ſuper exiſtentia Dei: de eventibus rerum: de immortalitate animæ: de libero arbitrio; interſertis etiam argumentationibus phyſicis. Libro II, ad cognoſcendum hæc cum certitudine opus eſſe revelatione divina, ſi absq; falſi intermixtione doceri velimus, monſtratque Philoſophorum errores, & quibus argumentis & notis veræ revelationes a ſuppoſititiis & falſis dignoſci debeant, easque notas Sacræ Scripturæ V. T. traditisque in ea revelationibus, præſertim per Noachum, Abrahamum & Moyſen, ineſſe probat, & quæ iis ab impiis objiciuntur, refutat. Lib. III & IV omnium excellentiſſime reperiri omnes illos characteres demonſtrat, in Revelatione Jeſu Chriſti, Domini noſtri, & ſcriptis Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Libro V progreſſum, profectus, & effectus religionis Chriſtianæ recenſet, & contra Judæos argumentatur. Libro VI deducit, omnes revelationes & religiones, quæ cum doctrina Chriſti non conveniant, falſas eſſe, ſive ob idololatriam, quæ Chriſtianismi tempora præceſſit, & morum pravitatem inde ſecutam; ſive ob corruptelas & hæreſes: & ſpeciatim Mahometanos impugnat. Hæc omnia ita proponit & firmat, ut in plerisque applauſum meriturus videatur etiam diſcrepantium circa articulos fidei quosdam Theologorum, aliorumque doctorum virorum. At Libro VII ſcopum ſuum, poſteaquam contra hæreſes veteres diſſeruiſſet, coarctat, eoque deflectit, ut fundamento ſolido & immobili, quod in libris præcedentibus magnifice præſtruxerat, adjungat aut ſuperficiat id ipſum, de quo cum Romanæ Eccleſiæ doctoribus tot annis diſceptant repurgatæ religionis aſſertores, Traditionem nempe ore factam, & quidem eo modo deſcriptam & ſtatuminatam, qui hypotheſi Romanæ convenit. Hinc efficere vult, religiones omnes, quas ſectarum & hæreſium nomine & numero cenſet, adeoq; vel maxime etiam noſtram, quæ B. Lutheri miniſterio prædicari ſuperiori ſeculo cœpta eſt, rejici debere. Extollit felicitatem, amplitudinem & potentiam religionis Romano-Catholicæ. Laudat etiam exempla ſanctorum morum & converſionis gentium a Clero Romano edita. Elevat & exprobrat nobis paucitatem, & alia, quæ fidelis, utut parvi gregis, ſigna eſſe ſcimus, nec minas aut omina ejus metuimus, cum eadem nobis fata minitatur, quæ hæreſes veteres incurrerint. Recoquit etiam veterem calu-

calumniam, quod Principes Germaniæ non aliam secessionis ab obedientia Romanæ sedis causam habuerint, quam cupiditatem invadendi & retinendi bona Ecclesiastica. Sed hæc atque alia breviter hic notari debuerunt, ne agnita videantur. Refutata sunt dudum a multis, &, si aliqua responsione digna judicentur, non deerunt, qui eam in tempore possint reddere. Meliora sunt, quæ secunda Libri VIII parte adversus Socinianos disputat, nisi cum iterum ad axioma suum de Traditione regreditur, existimans hoc maxime refutari & reprimi istos posse, qui Scripturæ fidem cavillis perpetuis eludant.

Addere lubet, quæ de Scriptoribus adversus Atheismum, sive pro veritate Christianæ religionis in præfatione compendiose tradidit. Scripsisse refert secundo & tertio post Christum seculo adversus Paganos & Judæos *S. Justinum* Martyrem in Apologetico, in dialogo contra Tryphonem Judæum, & in opere contra gentiles; discipulum Justini *Tatianum*, libro contra gentes; dein *Theophilum Antiochenum*; *Athenagoram* in scripto ad Imperatores; *Minutium Felicem* in dialogo elegantissimo; *Tertulli anum* in Apologetico, itemque contra Judæos & ad Scapulam; *Clementem Alexandrinum* plurimis locis in libris stromatum; *S. Cyprianum* libris ad Demetrianum & de vanitate idolorum; *Originem* contra Celsum. Quarto seculo *Lactantium & Arnobium*. Superesse etiam tractatum excellentem *S. Athanasii*. Idem egisse *S. Chrysostomum* in præstantissimis homiliis, ut & *S. Cyrillum Alexandrinum* in libris contra Julianum Apostatam; *Eusebium Cæsariensem* de præparatione & demonstratione Evangelica; *S. Augustinum* libris de veritate religionis, & magno de civitate Dei opere: præter multa, quæ Patres scriptis contra hæreticos inseruerint. Post illa tempora nihil tale legi, usque ad *Anselmum & Thomam Aquinatem*, cujus summa contra gentes exstat. Posteaquam vero multæ Barbarorum provinciæ a Christianis detectæ sunt, & commercia cum Mahometanis frequentari cœperunt, rediisse ad materiam hanc tractandam doctores Christianos, insignemque operam navasse *Raymondum de Sebonde, Ludovicum Vivem & Granatensem*. Meruisse etiam apud Romano-Catholicos laudem ex dissentientibus *Philippum Mornæum* Plessium, *& Hugonem Grotium*. Memorat inde cum elogio opus *Hueti* de demonstratione Evangelica, paucos ante annos editum, & quæ *Episcopus Meldensis* scripserit. Ex quibus omnibus collegisse se fatetur, quæ valida & plausibilia sibi visa fuerint. Præteriisse vero de industria veterum gentium adversus Christianos calumnias, dudum ab Ecclesia-

clenasticis scriptoribus retusas, Evitasse etiam controversias quasdam particulares & criticas, quæ ad demonstrandam veritatem nihil proficiant. Abstinuisse ab omnibus, quæ non certissima judicaverit, & a disputatione inter Christianos non dependentia. Pia est, quam subjungit, admonitio, quod sine precibus gratiæ divinæ illuminatio impetrari non possit: absque gratia vero hac ne crassissimi quidem errores deponi queant, & argumentorum robur nec a sagacissimis agnosci: cum ipsius Christi divina verba tantis miraculis firmata, non nisi misso Spiritu Sancto perfectam fidem & operationem invenerint.

NOVUS COMETES,
a medio Julii anno 1683 Lipsiæ visus.

Die 13 Julii st. vet. Lipsiam rure nunciatum est, denuo Cometam in cœlo conspici. Nec abnuit huic nuncio nox insecuta, quæ novum hunc advenam Amico, ad quem perlatus erat rumor, oculos per cœlum solicite circumferenti primum detexit. Præter tractum tamen cœli, in quo *Phænomenon* hoc offendit, regionem scilicet Ursæ majori & Aurigæ mediam, cujus sparsæ stellæ in Jordanis asterismum congestæ sunt, nihil ab ipso tunc notatum.

Postero die 14, circa XI vespertinam promiscue visus est, non procul a loco, unde superioris anni Cometes cursum suum occeperat: corpore exiguo, nec stellis tertiæ dignitatis par, lumine diluto & subalbicante, caudaque tenui, nec nisi oculis vegetioribus obvia, ad paucos etiam gradus versus verticem protensa.

Hoc insequentibusque diebus captæ sunt ejus a proximis Fixis distantiæ, quantum cœlo vario, & per crepusculinam lucem, licuit; at quia Fixæ istæ in Catalogis non comparent (a notis enim & insignioribus stellis phænomeni distantiam capere locus observationi incommodus non permisit) calculus motus eousque nobis differendus est, donec supputatis Fixarum illarum locis, cursuque Cometæ peracto, integram ejus historiam una veluti Tabula exponere liceat.

Hoc interim compertum habemus, motum ejus in antecedentia niti, languidum, & dietim vix bessi unius gradus æqualem; quem tamen hujus diei (scribimus autem hoc pridie Kal. Aug.) observatio nunc intendi conjicere nos fecit. Distitit autem circa mediam noctem a Lucida in capite Aurigæ circiter 6°. 30', ab Humero ejusdem plus 5°; superato jam Coluro Solstitiorum versus Capellam & Eclipticam, sed (nisi conjectura fallimur) arcu circuli minoris, tendens: Longitudo utcunque æstimata fuit 28° ♊, cum latitudine 27° Borea, quæ sub initium apparitionis erat 30°.

(o)